

PRAELECTIONES
JURIS CANONICI

AD METHODUM

DECRETALIUM GREGORII IX EXACTAE

QUAS

IN SCHOLIS PONTIFICII SEMINARII ROMANI

TRADEBAT

PHILIPPUS DE ANGELIS

CANONICUS BASILICAE LIBERIANAE

Tomus Secundus — Pars Secunda

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA DELLA PACE
Piazza della Pace 35
1879

PARISIIS
APUD P. LETHIELLEUX
Rue Cassette Num.° 4
1879

PRAELECTIONES
JURIS CANONICI

EPISTOLA REGNANTIS PONTIFICIS MAXIMI

AD AUCTOREM

LEO PONTIFEX XIII.

DILECTE FILI, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Gratum acceptumque valde habuimus donum voluminum, quae hactenus edidisti de Jure Canonico. Et quamvis per tempus et negotia nonnisi aliqua raptim legere potuerimus, praeclaram tamen in illis doctrinarum supellectilem in unum collectam, et multa nostris temporibus apprime opportuna invenimus. Hoc autem expectandum erat ab eo quo polles ingenio, diuturno magisterii usu, et firmissimo in Ecclesiam catholicam sanctissimamque Nostram Religionem amore. Perge igitur et contende, ut inceptum opus ad exitum adducas. Scribendi alacritatem tibi addant et misera temporum conditio, in quibus omnis generis errores in re etiam canonica grassari impune videntur, et gravitas quaestionum, quae lucidum ordinem, acumen, et iudicium, ut rite tractentur, maxime exquirunt, et necessitas illa, quae quotidie augetur, adolescentium mentes salutaribus institutionibus imbuendi. Quae omnia ut facilius, annuente Deo, consequaris, accipe quam ex animo peramanter impertimur Apostolicam Benedictionem.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die 16 Augusti 1878 Pontificatus Nostri Anno Primo.

LEO PP. XIII.

Foris — Dilecto Filio
PHILIPPO Canonico DE ANGELIS
Romam.

L'Autore si riserva il diritto di proprietà per la riproduzione e traduzione di questa sua opera sotto qualsiasi forma, avendo previamente adempito a tutte le formalità prescritte dalla legge.

LIBER TERTIUS
DECRETALIUM GREGORII IX.

TITULUS XXVIII.

De Sepulturis.

1.º Sepultura alia dicitur *communis*, et alia *sacra vel ecclesiastica*. — Neminem debere manere insepultum, cum de vita decessit, est principium pietatis peraeque a civilibus quibusque gentibus recognitum ob dignitatem humanam, cujuscumque tandem religionis fuerit. Ecclesia autem Christi cum etiam post mortem in hisce reliquiis fidelium communionem Sanctorum perseverare tenuerit, hinc ritu sacro purgavit, benedixit et sanctificavit coemeteria, in quibus usque ad extremum judicii diem quiescerent corpora fidelium, qui divinam misericordiam fuerunt consecuti. Ex quo sequitur Ecclesiam sibi vindicare jus et constituendi pro sua associatione exclusive haec coemeteria, id est separata a sepulturis tum communibus tum alia-

rum confessionum religiosarum; atque pariter sibi asserere auctoritatem judicandi, quinam debeant admitti in iis coemeteriis tumulandi, et quinam sint de sua communitate excludendi. Et quidem merito: sicut enim Ecclesia habet jus pro sua communione habendi templa, quae exclusive pro suo cultu exhibendo sint destinata, et a quibus possit excludere quoscumque velit; sic quoque idem de coemeteriis censendum est. Idque non modo certum est ex recognita Ecclesiae auctoritate suprema, qua potest sibi statuere quidquid pro sua communitate vel necessarium vel utile est; verum etiam debet admitti juxta principia neoterica a schola liberalium adserta. Hi siquidem cum admittant principium omnimodae libertatis cultus, hoc Ecclesiae catholicae jus denegare nequeunt. Per summam proinde injustitiam contra catholicos, et contra omnes alias sectas religiosas, quae exigunt coemeteria *confessionalia*, Status civiles et Municipia construunt coemeteria sic dicta *civilia* vel *municipalia*, in quibus omnium demortuorum cadavera conduntur, ad quaecumque religionem pertinuerint illi, qui decesserunt, sive nullam professi sint religionem. Expenditur siquidem communitatis pecunia, cum de hac emolumentum major pars communitatis persentire nequeat, quemadmodum illud Gubernium vel Municipium pecuniam publicam irrationabiliter expenderet in construendo templo, quod omnibus cultibus inservire destinaret. Ita practice impugnatur illud principium, hodie com-

munitur a novatoribus admissum, nempe coemeteria esse *essentialiter* proprietatis publicae seu municipalia, ut omnes de communitate ibi valeant tumulari post mortem, nulla habita ratione professi cultus religiosi. Multo magis injustitiae et non servatae libertatis conscientiae redargui possunt illi, qui coemeteria catholica violare praesumunt inferentes in ea illorum cadavera, qui vel diversae sunt religionis, vel ab auctoritate ecclesiastica indigni habeantur istius juris et privilegii. Si enim societas ex catholica facta est *mixtae religionis*, ad summum id poterit exposci, ut pro asseclis aliorum cultuum construantur alia coemeteria, non vero quod catholicum violetur. — Ubi vero coemeterium publicum construendum de novo est, adminimum exigere poterunt catholici, ut pars pro sua confessione deputetur, eaque dividatur a reliquo, quod vel pro aliis confessionibus subdividatur, vel pro iis, quemadmodum malunt, indivisum maneat. — Quae vero coemeteria seu sepulchra vel a privata familia sua pecuniâ constructa sunt pro sui necessitate et honore, vel ab associatione catholica aere collato aedificata fuerunt, haec invadi aut violari nequeunt, non modo obstante sanctitate religionis, et principio jam asserto libertatis cultus, sed etiam jure proprietatis, quod nisi inviolatum servetur, societas nulla potest consistere.

2.º Quod autem locus aliquis ob sepulturam corporis humani factam jure ac privilegio loci sacri

vel religiosi gaudeat, secundum legem canonicam non modo privata, sed publica quoque Episcopi auctoritate esse debet deputatus, ut fert praxis et Auctores probant ex *cap. 4° de religios. domib.*, quod ex sacro ritu in iis locis sanctificandis adhibito comprobatur. — Unde sepultura ecclesiastica definitur « locus auctoritate ecclesiastica deputatus ad fideles pie demortuos sepeliendos. » — Et quidem ante saeculum IX nemini permissum erat sepeliri intra Ecclesiam exceptis Episcopis, Abbatibus, Presbyteris et laicis illis, qui per vitae merita talem vivendo suo corpori defuncto locum acquisivissent ex *can. 52 Conc. Moguntin.* et *can. 6° Concil. Nannetens.*, seu, ut habet *can. 18 caus. 13 quaest. 2ª* in Decreto « Nullus mortuus intra Ecclesiam » sepeliatur, nisi Episcopi, vel Abbates, aut digni » Presbyteri, aut fideles laici, » sed omnes in coemeteriis sanctificatis condebantur, nisi ea loca essent, quae peculiaris familia pro suis mortuis tumulandis cum consensu ecclesiasticae potestatis destinasset ritu sacro sanctificata. Verum, prout advertit Van-Espen *h. t.° num.° 32* cum merita vitae, ob quae istud privilegium concederetur, non essent determinata, haec exceptio latum campum aperuit fidelibus laicis ambiendi sepulturam in Ecclesia, et Sacerdotibus plenam libertatem eam admittendi. — Non omnibus vero Ecclesiis hoc jus sepulturae competiit, sed parochialibus, et iis, quae illud privilegio aut consuetudine legitime praescripta obtinuerunt; ut exempla habemus

in *Clementin. 2ª et extravag. 2ª inter communes h. t.°*

3.° Ex quo factum est, ut sepultura ecclesiastica esset — vel 1° sepultura *electa*, — vel 2° sepulcrum *gentilitium*, aut *majorum*, — vel 3° sepultura *parochialis*. — Cuique autem, dummodo puberi, mentis compoti, et aliunde non prohibito, permittebatur eligere sepulturam ex *cap. 1° h. t.°* Imo et pater pro filiis impuberibus id poterat, ubi consuetudo terrae hoc haberet, prout statuitur *cap. 4° h. t.° in VI.°* Collective quoque et collegialiter factam sepulturae electionem validam recognovit S. Congregatio Concilii *die 16 Maii et die 19 Decembris anni 1682*, addita clausula *revocabiliter tamen*; nempe post hanc posse illos individualiter vel eam revocare, vel aliam eligere. Atque hanc libertatem electionis canones plusquam sufficienter tutati sunt, prout constat ex *cap. 1° h. t.° in VI.°*, ex *Clementin. 3ª de poenis*, ex *Constitut. Alexandri VII « Cum ex parte » diei 10 Aprilis 1660*, et ex Decreto Clementis XI *diei 22 Augusti 1708*. Unde in sepultura electa quis tumulari debebat; quod si non elegisset, tunc condidit in sepulcro majorum ex *cap. 1° h. t.°*, et hoc non extante in sepultura parochiali, nisi fuisset exemptus. At vero in casu electae sepulturae, vel si ea non facta, si quis conderetur in sepulchro majorum, Parocho proprio quarta funeraria emolumentorum dari debebat, prout statuitur *cap. 1° cit.° h. t.°*, de qua inferius disseremus. — Antiqui ex-

positores juris canonici haec omnia fuse declarant, quique proinde ad eruditionem consuli possunt.— Verum hodie tumultatio in Ecclesiis generali modo vetita est, in hac re connivente potestate ecclesiastica cum civili, et proinde, non habente amplius locum sepulturae electione, inutilia reddita sunt illa privilegia tumulandi concessa Ecclesiis non parochialibus; sepulchra quoque peculiarium familiarum generaliter derelicta manserunt, et apud quamque civitatem unum sepulchrum ecclesiasticum commune extitit, nempe coemeterium, salvis rarissimis, imo singularibus exceptionibus. Hoc tamen sepulchrum in coemeteriis uti parochiale habetur, seu illi correspondens, quod ex sua conditione quisque sortitus fuisset.

4.º Cadavera porro antequam sepeliantur ad Ecclesiam cum luminibus et Cruce et Parocho ejusque socio comitantibus juxta ritum Ecclesiae deferri debent majori vel minori pompa juxta facultates familiae defuncti, eademque ecclesiastica caeremonia deferri ad coemeterium; quod dicitur *funus agere*.— Quoad hoc autem plura quaeri possunt, et *primo*: cujus sit illi praeesse? Et dicendum est, exceptis personis exemptis, ut sunt regulares, queis et in publico coemeterio sepulchrum proprium correspondet, funus duci debere a proprio Parocho; atque paroecia propria illa dicitur, in qua quis habuit, dum moreretur domicilium et sacramenta recipere tenebatur, et in illius parochiali sepultura condi, ut habet regula generalis

in *cap. 3º h. t.º in VI.º* Idque locum habet, etsi quis extra suam parochiam decedat, *dummodo absque periculo ad ipsam valeat deportari*, prout subjungitur in eodem capite.— Quae autem distantia sit inter locum, in quo quis moritur, et parochiam propriam, ut possit *absque periculo* deportari, optime notatur a Giraldi *Expositio Juris Pontificii part. 1ª sect. 495*, cum nihil « hac de re in » jure cautum sit, convenire Doctores id remittendum esse arbitrio viri prudentis; quamvis non » desint, qui asserant remotum locum dici tantum » illum, ad quem per unius diei iter cadaver trans » ferri possit. » At si id fieri nequit, prout si sepulturam quis elegisset, vel condi deberet in sepulcro majorum, tunc, ut habetur *cit.º cap. 1º h. t.º* salva debet esse *justitia* seu *judicium*, ut quarta funeris Parocho tribuatur.— Quae consideratio viam sternit *secundae* animadversioni; namque emolumenta funeris ad Parochum proprium pertinent, seu ad Ecclesiam parochialem, ad quam debet deferri cadaver ex *cap. 2º h. t.º in VI.º*, et ille, qui alienum Parochianum sepelivit tenetur restituere cadaver sepultum (si fieri potest) et omnia emolumenta percepta ex *cap. 5º et 6º h. t.º* In casibus vero indicatis quarta funeris seu emolumentorum ad illam pertinet: ratio redditur in *d.º cap. 1º h. t.º*, nempe quia in parochiali Ecclesia defunctus recepit sacramenta, huic proinde cedat pars emolumentorum funeris.— Est vero hic declarandum sub nomine emolumentorum funeris, prout

edicitur in *Statutis Cleri Romani cap. 5°*, venire oblationes, vel obventiones, quae fiunt occasione funeris, cujus generis sunt intorticia et faculae, quae in funebri processione vel circa vel ante vel post feretrum deferuntur, sive ad hoc ut Clerus et Confratres, aliique, qui processionem comitantur nocturno tempore viam cernere possint, sive quae alia de causa, puta honore funeris, a Capitulis, a Regularibus, a Sodalitatibus et a privatis quibuslibet accendi solent; nec non cerei, qui funeris tempore in altaribus etiam in honorem alicujus Sancti specialiter ab haeredibus demortui afferuntur; item qui peracto funere in cadavere ad sepulturam utcumque privilegiatam efferendo adhibentur; item qui post translationem in Ecclesia vel coemeterio tumultante pro altero funere peragendo, praesente tamen cadavere, accenduntur. Item quaecumque ad pompam funeris in Ecclesiam importantur, haec sunt emolumenta funeris, sicut et arma vel insignia familiae, quatenus in funere apponantur. — Non pertinent vero ad funeris emolumenta libri, annuli, enses, vexilla, equi, rheda, cruces, habitus, seu insignia ordinum vel dignitatum, quae cum cadavere deferuntur, nec denique ulla alia vestis, qua cadaver indutum sit; exceptis indumentis sacris, quibus cadaver indutum deferri contingat. — Unde portio canonica definitur « pars eorum omnium, quae vel occasione delati funeris, vel ex ultima voluntate defuncti (exceptis tamen quae pro fabrica, ornamentis et ad perpetuum Dei

cultum legantur) tali Ecclesiae, in qua defunctus sepelitur, obveniunt. » — Haec autem pars emolumentorum, quae ratione justitiae vel iudicii datur Ecclesiae propriae defuncti, etsi in *cit.° cap. 1° h. t.°* dicatur *tertia* pars, et in genere dicatur *quarta funeraria*, tamen diversa est quoad quantitatem pro diversitate regionum, ut aliquando et medietas sit: quam consuetudinem esse observandam edicit Clemens III in *cap. 4° h. t.°* per verba: « Nos tale praebemus in hac varietate responsum, » ut unaquaeque provincia in suo sensu abundet, » et secundum rationabilem consuetudinem regionis illa justitia circa medietatem vel tertiam aut quartam partem pro locorum diversitatibus attendatur. » — Citandi hic sunt ex *cap. 3 Statutorum Cleri Romani paragraphi 7, 8, 9 et 10*, in quibus statuitur: — (α) pro funere illius qui ab Urbe profectus, quin domicilium amiserit, alibi decesserit, Parochum Urbis, cui suberat defunctus, quartam funeris repetere a Parocho loci, ubi decessit: — (β) nomine *quartae funeris* juxta receptam Urbis consuetudinem venire *mediam* partem cereorum seu intorticioorum, quae vel circa feretrum tum in associatione per viam, tum in expositione in Ecclesia ad funus peragendum, vel in altaribus exposita sunt: — (γ) Parochos Urbis integra sua facere emolumenta pro funere cujusque hospitis, etsi in Urbe defunctus ad aliam regionem sepeliendus transferatur, quin alteri quarta funeris debeatur juxta vetustissimum Urbis privilegium. —

Haec demum emolumenta funerum in illis Ecclesiis, in quibus vel Capitulum habet jura Parochialia et deputat ad illa exercenda Vicarium, vel quomodocumque Parochus inter Capitulares recensetur, non omnia ad ipsum Parochum pertinent, sed diverso modo juxta conventiones inter Capitulares dividuntur. — Praeter portionem canonicam parochialem est etiam episcopalis, quam praestare Episcopo debebant Ecclesiae aliquid emolumenti recipientes ex funere, ut notatur *cap. 16 de offic. judic. ordin.* et *cap. 14 et 15 de testament.*: haec autem hodie generaliter loquendo obsolevit, seu praescriptum contra ipsam est; sicut advertunt Auctores quod possit praescribi post lapsum quadraginta annorum portio quoque canonica parochialis.

5.º Quia vero, prout antea innuimus, actio funeris, et deductio ad coemeterium est ceremonia essentialiter ecclesiastica, hinc fiet modo omnino religioso juxta praescripta Ritualis Romani, et illis tantum adhibitis pompis, quae moestam hanc decent ecclesiasticam functionem. Non excludit quidem Ecclesia, quod in funeris pompa habeatur ratio dignitatis civilis aut muneris a defuncto exerciti; sed quidquid ad damnatas sectas pertinet, in funeribus esse eliminandum, facili negotio argui potest. Ex hac pariter ratione antiquissimo usu et legibus synodalibus receptum est, ut orationes funebres pro aliquo defuncto in Ecclesia non recitarentur etiam cum licentia nisi a Clerico post

Missam expletam; et laudationes publicae in coemeterio a laicis ad populum non fiant sine licentia auctoritatis ecclesiasticae, et ista omnia heic Romae fieri nequeunt secundum § 40 *cap. VI Statutorum* nisi de venia Cardinalis Vicarii. — Propter eandem rationem, quod funus sit ceremonia ecclesiastica, et quia sepultura ecclesiastica est jus spirituale fidelibus competens, generaliter receptum est, ut pro agendo funere non exigatur aliquid temporale, neque pro concedendo jure sepulturae. Hinc est circa funus, quod pauperibus gratis fiat. Id tamen non impedit, quominus a personis civilis conditionis non possint recipi oblationes occasione funerum factae, velut si quis cupiat solemniori forma funus indicere, quod hoc non fiat propriis expensis; et haec dicuntur emolumenta funerum. Quin imo in aliquibus locis receptum est et lege statutum, ut a determinatis familiis et personis funus peragatur aere proprio, et quidem juxta taxam determinatam. Hinc in Rituali Romano ita de hac re cavetur, ne Ministri Ecclesiastici pro funere aliquid exigant « tamquam pretium, sed iis » eleemosinis contenti sint, quae aut probata consuetudine dari solent, aut Ordinarius constituerit. » Sic in citatis Statutis Cleri Romani *cap. 3º* ordinatur, ut pauperibus funus a Parocho gratis fiat cum duabus saltem cereis facibus, applicatione Missae et recitatione officii defunctorum; nominantur deinde personae, quae aere proprio funus peragere tenentur juxta praefinitam taxam,

et ista emolumenta cedunt lucro Paroeciae, et decimarum loco pro Parochis subrogata consentur: reliqui praeter nominatos ad funeris expensas non tenentur, si in forma pauperum deferri velint; si tamen nobiliori modo funus malint peragere, se cum Parocho component pro expensis, prout melius eis libuerit: ex quibus apparet rationem obligationis ad expensas esse ex alio rationabili titulo. Idem dicendum est de expensis pro sepultura. — Ex dispositione *cap. 13 h. t.º* videretur nihil exigi posse pro sepultura, quin aliquis se simoniae reum faceret, et nullam hac in re rationabilem consuetudinem posse inolescere; attamen ad rectam interpretationem istius capituli tenendum est: — (a) Omnes Doctores conveniunt posse esse materiam contractus emptionis venditionis locum profanum, seu fundum pro aedificanda sepultura. — (b) Praxis communissima docet posse quoque pretium intervenire pro cedenda Capella in Ecclesia ad sepulturam; et quidem absque beneplacito Apostolico si sepultura construenda sit, ut probat Cardinalis Petra Decreto Congregationis Concilii 6 Septembris 1659 in *Melliten. alienation.* in Commentariis ad Constit. Pauli II *sect. 2ª num.º 18*, quia non emitur Capella consecrata, sed datur pretium pro loco honorabiliore. Si autem conceditur usus Capellae seu sepulturae jam constructae, requiritur beneplacitum Apostolicum ut advertit idem Auctor *oper. cit.º num.º 19*. — (c) Etiam in coemeteriis benedictis seu sacratis

pro loco honorabiliore ex eadem ratione potest peti et dari pretium, cum, ut advertit consulto Reifensuel *h. t.º num.º 69*, non vendatur locus, sed pro honore et praeeminentia non debita detur pecunia. — (d) Ubi est consuetudo, pariter admittitur, ut pro loco communi in coemeterio solvatur taxa, quae dicitur taxa sepulturae; atque hujus quidem taxae pendendae ratio est partialis reintegratio summae expensae pro coemeterii aedificatione, et sumptuum, qui fiunt pro conservatione et custodia ejusdem loci; prout quoque heic Romae est talis taxa, et notatur in dictis *Statutis Cleri cap. 6.º* — (e) Verum pro pauperibus sepultura debet esse gratuita; et quod in istis exactionibus jure reprehenditur, est modus vexatorius, quo fiunt; ut non detur licentia sepeliendi, nisi fuerit summa pecuniae soluta, quod constituit irrationabilem et omnino abolendam consuetudinem; de quo ultimo casu, ut advertunt Doctores, est intelligenda dispositio *cap. 13 h. t.º*

6.º Porro Ecclesia corporum fidelium defunctorum, (quae templa Dei fuerunt, sanguine Christi redempta et sacramentis saepius refecta et sanctificata requiescunt in expectatione resurrectionis mortuorum et diei ultimi judicii) maximum cultum habuit ab aevo Apostolico, ut nec ea exenteranda, aut in frustra concidenda, aut igne quomodocumque decoquenda, et multo minus cremanda generaliter permiserit, sed ea in coemeteriis condi curaverit, et sepeliri, quatenus ibi naturaliter consumantur

omni violenta actione hominis exclusa. — Celebris est hac super re dispositio Bonifacii VIII relata in *cap. 1^o h. t.^o extravag. commun.*, quae omnibus hanc exenterandi, membratim concidendi aut etiam decoquendi fidelium corpora interdixit sub interminatione excommunicationis majoris, et poena privationis sepulturae ecclesiasticae pro talibus cadaveribus. Sed quinam est sensus, et quaenam istius vetiti amplitudo aut extensio? Doctoribus diversa opinantibus, puto hanc posse fieri istius Decretalis summationem, habito praesertim respectu ad mores deinde inolescentes. — 1^o Decretalis relata sese refert ad morem tunc vigentem, qui demonstrat hunc modum non esse extraordinarium, sed usitatum, et in eo reprehensibilis est, cum non habeat rationem ad casus extraordinarios, in quibus fortasse posset legitimari, ut ex dicendis patet. — 2^o Revera modus tractandi humana corpora in Decretali enunciata descriptus, est truculentus et alienus a pietate, quae erga fidelium corpora adhiberi debet; et ipsa narratio, quae fit a Pontifice, ostendit hunc sensum inhumanitatis. — 3^o Quod maxime ex eo reprehensibilis apparet, quia fit absque sufficienti causa, nempe ex ratione male intellecta pietatis, ut respiciatur ad electam a demortuo sepulturam. — Sed quid si talis exenteratio et concisio membrorum fieret, puta ad anatomiam humani corporis faciendam, quemadmodum in nosocomiis hodie fit pro scientiae medicae progressu? Non puto id esse interdictum; prout

quotidiana praxis factitari edocet, nemine reclamante. Velut si fieret autopsia cadaveris ad despiciendum, si crimen homicidii sit admissum praesertim ope veneni; sicut pluries tribunalia civilia id fieri praescribunt; pariter non est tenendum, quod Decretalis id ullo modo impediat, ut experientia jugis ostendit. — 4^o Aliquoties id impune fieri tradit Navarrus et Wagnerek apud Giraldi *oper. cit.^o part. 1^a sect. 497*, « ut debitus » honor exhibeatur cadaveribus Regum, Principum, aliorumque, qui frequenter petunt corpora » sua dividi, aromatibus condiri, et alibi sepeliri » cor, alibi alia membra. » — Sed quod hodie omnem impedit abusum, atque arcet ne efferati mores invalescant, illud est, quod in omnibus istis casibus intervenire debeat venia auctoritatis politicae, quae quemcumque privatum ausum gravibus plectit poenis; et auctoritas quoque ecclesiastica visâ rationabilitate petitionis non solet suum assensum denegare. — Nostris autem temporibus vetustissimo modo sepeliendi defunctorum cadavera, et a christianis constanter usitato, subrogare nonnulli contendunt usum cremationis cadaverum, et ingentes conatus fiunt, ut hic mos, qui post paganismum abolitum recessit, iterum in honore sit. Hujusmodi systematis sectatores nullum non moverunt lapidem, omnibusque usi sunt argumentis, ut detraherent communi coemeteriorum praxi, cremationem vero extollerent. Eorum momenta ad haec praecipua reducuntur. — Et primo contendunt

populos, quamdiu rudes manserunt, praetulisse cadaverum sepulturam, civilitatis vero semitam ingressos antetulisse cremationem, prout de Romanis historia refert; hinc in hac civilitatis meridiana luce saeculi decimoni regressum esse faciendum ad methodum cremationis, a qua per ignorantiam medii aevi recessimus. Cui accedit methodum sepeliendi cadavera esse maxime hygieni publicae contrariam, et medicae artis cultores, qui huic inducendo novo ritui devoti sunt, maximo apparatu demonstrare sunt conati venenatum prorsus aerem ex coemeteriis erumpere et modernam societatem inficere, quae communis labes vitari non poterit, nisi per eorum abolitionem et cremationis instaurationem. Quamvis autem Auctores isti in genere vix respectum habere soleant ad religionem catholicam, tamen a nonnullis contenditur hunc usum posse indifferenter induci, quin ullum fiat disciplinae ecclesiasticae praepudicium, pioque fidelium sensui, et multo minus dogmati catholico. Sed etsi talia argumenta ab ipsis magno verborum apparatu fuerint proposita, et non destiterint publicis indictis comitiis plebes commovere, et Gubernia inducere ad hunc ritum legalitate donandum; usque adhuc tamen nec plebes commotae sunt, nec Gubernia cesserunt, adstipulantibus doctis viris, qui novatorum argumenta exaggerationis et falsitatis revicerunt, et pro coemeteriorum retentione suffragante unanimi voce, praesertim catholicorum. Et reapse primum argumen-

tum novatorum seu assertum principium denegari facile potest; si enim legamus historias omnium populorum, istas procul dubio conclusiones deducemus: — 1° longe universaliorem fuisse usum sepeliendi cadavera prae usu cremationis, imo hunc potius dici posse exceptionem. — 2° Plures nationes constitutas in maximo gradu civilitatis ex confessione adversariorum, nihilominus constanter retinuisse ritum sepulturae, prout fuerunt Aegyptii, aliique. — 3° Ritum cremationis a nationibus aliquibus receptum fuisse non ratione civilitatis, sed ex superstitioso dogmate falsae religionis, nempe *purificationis supremae per ignem*, ut praedicti Doctores notant. Quamdiu enim Romana Respublica maxime civilibus, sed severis moribus perduravit, cremationem cadaverum ignoravit, et primus Dictator Sylla fuit, qui sui corporis post mortem supremis tabulis indixit cremationem non ratione civilitatis, aut quavis alia consimili, sed ne poenam talionis perferret pro exturbatis cineribus antecessoris Dictatoris Marii; prout legitur apud Plinium *Histor. lib. 7° cap. 54.* — Alterum argumentum a novatoribus propositum pariter nullius est ponderis; namque: — 1° ratio hygienis publicae, quae suadeat cremationem cadaverum et reprobet sepulturam, a nullo ex veteribus allata fuit; idque demonstrat non eam fuisse, propter quam ille usus fuerit inductus; sed nuperrime fuit excogitata ad commovendas plebes, et ad publicam opinionem huic placito favorabiliter inclinandam. — 2° Pe-

riculum hoc detrimenti salutis publicae non subsistit, prout praelaudati Doctores ostenderunt momenti desumptis ab experientia et a scientiis physicis. — Quibus difficultatibus sublatis, si quaeratur: an ritus cremationis possit indifferenter induci et substitui ritui sepulturae, quin ulla fieret injuria sacris catholicis; responsio post has animadversiones datur, scilicet: — 1° Populus Dei numquam admisit cremationem, sed constanter religioso ritu adhibuit cadaverum sepulturam. Qui mos non modo veteri lege retentus est, sed etiam in nova lege, quamvis Religio christiana viguerit maxime in Imperio Romano, cum in Urbe Roma tunc temporis in honore esset mos cremationis; unde videtur christiana praxis voluisse corrigere paganam consuetudinem, etsi in aliis rebus omnino indifferentibus ecclesiastica potestas non fuerit dedignata romanas consuetudines et leges imitari; quod pro excludenda crematione et praecipienda cadaverum sepultura arguere facit Apostolicum praeceptum ab Ecclesia semper inviolabiliter servatum. — 2° Cohaerenter ad hunc tumultandi morem Ecclesia composuit suam liturgiam et cultum mortuorum, quae liturgia profecto immutanda prorsus esset, si derelicto ritu sepulturae alius ritus praevaleret cremationis; atque id ex ipsa inspectione Ritualis Romani valet statim dignosci, tum circa coemeterii consecrationem seu benedictionem, tum circa exequias mortuorum; quod in omnibus aliis liturgicis libris statuitur. — 3° De-

num cohaerenter ad hunc ritum tumultationis Patres exposuere dogma catholicum de resurrectione mortuorum, ut explicarent textum B. Pauli *Ep. 1^a ad Corinth. cap. 15.º* — Quae omnia demonstrant agi hic quidem de re disciplinari, sed admodum respicienda; non enim Ecclesia praecepta Apostolica parvipendit, sed ea omnino retinenda censet; neque liturgiam immutat jam tot saeculorum observatione venerabilem, praesertim cum, ut dictum est, non suppetant ullae rationes. Ex quo deduci meo judicio potest Ecclesiam semper futuram esse ritui cremationis contrariam, et eam instare pro retentione sepulturae et pro usu coemeterii, in quo cadavera fidelium quiescunt in expectatione angelicae tubae vocantis universam carnem ad ultimum judicium.

7.º Sepultura ecclesiastica considerata ut jus communiter definitur « jus spirituale competens fidelibus pie demortuis, ut condantur eorum cadavera in loco auctoritate Episcopi vel Privilegio Pontificio ad hoc deputato. » — Si breviter definitio exponatur, statim innotescet quinam sepultura ecclesiastica donandi non sint. Porro si hoc est jus fidelium, proinde excluduntur: — 1º pagani, judaei et in genere omnes infideles, qui scilicet baptismo loti non sunt, ut habetur *can. 28 de consecrat. distinct. 1^a*: — 2º et propter eandem rationem excluduntur infantes etiam nati ex fidelibus, qui e vita absque baptismate excesserunt, ut docet *Rituale Romanum de exequiis*: dixi de filiis jam

natis, nam si adhuc in utero matrum sunt, et mater cum filio sit mortua, non debet extrahi ex utero matris, ut sepeliatur in loco non sacro, cum pars matris censeatur. Imo et catechumeni ex communi Doctorum sententia excluduntur, quia etsi Ecclesia pro eis oret, non eos tamen sepultura ecclesiastica donat, quia nondum per baptismum ejus membra effecti sunt. — 3° Haeretici pariter, schismatici et apostatae, eorumque credentes, receptatores, fautores et defensores, dummodo ut tales fuerint communiter habiti, indigni habentur sepultura ecclesiastica ex *can. fin. caus. 24 quaest. 2^a et cap. 13^o § credentes de haeretic.*, quamvis post mortem primum eorum haeresis fuerit detecta et manifestata, prout habetur *can. 3^o cit. caus. et quaest.*, atque exempla antiquissima sunt quoad eorum memoriam post mortem damnandam in Theodoro Mopsuesteno aliisque: isti namque non pertinent ad Ecclesiae coetum, a quo per haeresim, schisma vel apostasiam manifestam fuerunt divisi. Nec juvat eos tolerantia civilis, cum haec non valeat habere nisi effectus civiles, non vero religiosos. — 4° Eâdem ratione, nempe quod divisi sunt a coetu fidelium, sepultura ecclesiastica privantur excommunicati excommunicatione majori. — Verum quoad eos sequens est distinctio indicanda; nam antiquitus respiciebatur, an aliquis esset excommunicatus notorius, vel occultus; si enim erat occultus, tunc non poterat illi denegari jus sepulturae, cum ipse nec vitandus fuisset, neque pu-

blicâ poenâ mulctandus, cujus crimen publicum non erat: quoad publicos vero, cum omnes essent vitandi, tunc applicabatur principium propositum ab Innocentio III in *cap. 12 h. t.^o*: « Sacris est » canonibus institutum, ut quibus non communi- » cavimus vivis, non communicemus defunctis, et » ut careant ecclesiastica sepultura, qui prius erant » ab ecclesiastica unitate praecisi, quibus aequipa- » rantur nominatim interdicti. » Verum hodie post Martini V Constitutionem ecclesiastica legislatio immutata est, et non omnes publicos excommunicatos tenemur vitare, sed tantum illos, qui nominatim fuerunt hac censura notati, ac publici et inexcusabiles Clericorum percussores: an ex hoc putabimus juri antiquo fuisse inductam variationem, ut excommunicati quoque notorii, illis exclusis, sepulturae ecclesiasticae jus recuperaverint? Non ita; namque Martini V Constitutio nihil quoad publicos excommunicatos mutavit, neque eorum conditionem meliorem effecit, sed tantum inducta fuit in bonum fidelium, quos ad illos vitandos amplius non adstrinxit, proinde eos sepultura ecclesiastica indignos reliquit, sed non punitione reos censuit fideles, si eos sepultura ecclesiastica donarent, prout antiquitus erat; de quibus poenis inferius loquemur. — Sed numquid hodie isti excommunicati non vitandi poterunt ad libitum ecclesiastica sepultura donari? In genere non sunt in sacro coemeterio sepeliendi, quia prius erant ab ecclesiastica unitate praecisi, eo vel magis, si ex

hoc oriretur fidelium scandalum. Verum si aliter agendo timeri possent mali effectus, scilicet turbae, aemulationes etc. convenit inter theologos et juristas, quod possint in coemeterio sacro tumulari, quia profecto propter has rationes et grave incommodum sublatum est vetitum servandae cum ipsis communionis. Subjungitur tamen in *cit.*^o *cap. 13^o h. t.* « nec in articulo mortis Ecclesiae » reconciliati fuerint: » ex quo sequitur, quod si haec reconciliatio advenerit etiam in mortis articulo, tunc sunt sepultura ecclesiastica donandi. — At haec reconciliatio in mortis articulo potest dupliciter evenire, nempe vel quia isti omnes fuerunt a Sacerdote simplici quoque absoluti, quamvis censurae illae fuissent reservatae, vel quia excommunicatus non suscepto beneficio absolutionis decessit, in quo tamen indicia fuerint poenitentiae manifesta, nec per eum steterit, quominus reconciliaretur ecclesiasticae unitati. — Primum casum considerat Pontifex in *cap. 14 h. t.* et aperte concludit, huic juxta formam Ecclesiae absoluto nec coemeterium, nec alia Ecclesiae suffragia esse deneganda, etsi ejus haeredes et propinqui, ad quos bona pervenerunt ipsius, ut pro eodem satisfaciant, si alios laesit, sint censura ecclesiastica compellendi. — Alter vero casus exponitur in *cap. 28 de senten. excommun.*, et statuitur, ut cadaver prius absolvatur in forma publica ibi praescripta ab eo, cui erat reservata absolutio censurae, et deinde in loco sacro sepeliatur. Subjungit hic P.

Thesaurus de poenis ecclesiast. part. 1^a cap. 25 respond. V. plures sensisse hanc absolutionem non esse necessario concedendam, si censuratus non fuerit vitandus, sed toleratus, quia absolutio datur non mortuo directe, cum ipse sit jam solutus a vinculo censurae quoad se, sed tamquam licentia fidelibus vivis cum eo communicandi, quae non requiritur si non erat vitandus; ipse autem tenet etiam tunc fore utilem absolutionem et esse concedendam. Quod meo judicio satis recte dicitur, cum sic tollatur quaecumque occasio scandali, et lex ecclesiastica de absolutione censurarum melius impleatur.

8.^o Non omnibus autem fidelibus demortuis indiscriminatim conceditur sepultura ecclesiastica, sed iis tantum, qui *pie* demortui sunt *cap. 3^o h. t.* et *cap. 4^o de religios. domib.* Hoc vero non positivo sensu, sed negativo tantum intelligitur, ut excludantur qui *impie* decesserunt secundum iudicium Ecclesiae, et sic excluduntur: — 1.^o usurarii manifesti, nisi prius restituerint, vel de satisfaciendo cautionem idoneam praestiterint *cap. 2^o de usur. in VI.* — 2.^o raptores et incendiarii *cap. 2^o et 5^o de raptor.*: — 3.^o maledici, seu blasphemi *cap. 2^o de maledicis*: — 4.^o Religiosi proprietarii *ex tit. de statu monacor.* nisi poenitentiae indubia signa dederint. Quae adduntur omnes, qui in actu peccati mortalis notorie mortui sunt. — 5.^o Aliqui Auctores addunt etiam eos esse sepultura ecclesiastica privandos, qui praecepto paschali pervica-

citer non satisfecerunt, nisi dederint poenitentiae signa. Et id quidem verum est juxta Monacelli *Form. Legal. p. 1^a tit. 3^o form. 16 num. 5^o*, « quando intermissio praecepti paschalis per plures » annos continuata esset notoria *ex cap. Ex parte » de sepult.*, et *cap. a nobis de senten. excommun.*, » vel adesset Statutum Synodale ferens interdictum » *latae sententiae* contra transgressores, ut censuit » S. Congregatio in *Baren. 15 Decembris 1696*; » nam interdictum et privatio sepulturae *ex cap. Omnis utriusque 12 de poenitent. et remis.* est ferendae sententiae. — 6^o Item privantur ecclesiastica sepultura recipientes decimas et Ecclesiae non restituentes *ex cap. 19 de decim.* — 7^o De suicidis sepultura donandis vel non, loquitur Rituale Romanum a Benedicto XIV recognitum *De exequiis* per verba: « Negatur sepultura ecclesiastica » seipsos occidentibus ob desperationem, vel iracundiam, non tamen si ex insania id accidat, » nisi ante mortem dederint signa poenitentiae. » — Quod tamen clarius hodie exponendum est, cum falsae nonnullae notiones hac de re passim praevaluerint. Notandum proinde est: — (α) privationem ecclesiasticae sepulturae locum non habere, si suicida post tentatum crimen, etiam lethali vulnere sibi inflicto, vel alias, supervixerit, ut valeat signa verae poenitentiae edere, prout aliquando advenit, et deinde moriatur: — (β) neque secuta etiam morte esse supponendum, quod commissum fuerit crimen suicidii, nisi id plene probetur, sed

potius retinendum advenisse mortem aut ex casu fortuito, aut ex alterius maleficio, cum non sit praesumendum crimen tam grave, et a quo ipsa humana natura abhorret; atque experientia ostenderit plura considerata et edicta esse suicidia, quae non erant nisi homicidia dolose perpetrata et proinde in hoc dubio non est quis sepultura ecclesiastica privandus. — (γ) Quando vero constitit suicidium commissum esse, non semper esse retinendum, quod acciderit ex insania, prout hodie communiter dicitur, et Doctores aliqui plus aequo modernis placitis indulgentes admittunt ad hoc ut suicidae omnes sepultura ecclesiastica donentur, sed potius ex facti et personarum circumstantiis esse despiciendum, an ex desperatione aliaque injusta imputabili causa, vel potius ex insania hoc advenerit, et in primo casu privandos esse ecclesiastica sepultura, in alio vero non privandos. Ad hanc suam opinionem firmandam Doctores isti duobus utuntur argumentis, quae tamen nihil valent, nempe primo, ex eo quod dicant neminem velle sibi perimere vitam usquedum mente sanus est, cum vita sit omnium bonorum fundamentum; sed isti nolunt intelligere malitiae humanae profunda mysteria, praesertim quando fides supernaturalis ex animo exulavit, et nulla habetur futurae vitae spes. — Alterum vero argumentum in hoc est, quod etiam Ecclesia omnes suicidas post Benedictum XIV retinuerit velut insanos; quod pariter falsum est, prout ex allegatis a Rituali Romano

ab eodem Benedicto XIV emendato patet. Quin imo quod Ecclesia semper in suicidis hanc fecerit usque ad nostra tempora eandem distinctionem patet ex deliberatione a Supremo Inquisitionis Tribunali edita sub die 28 Novembris 1828 approbata a Leone XII relata in Collectanea Cardinalis Bizzarri pag. 58 et seqq. — (d) Imo ex hac deliberatione constat non semper esse inquirendum an suicidium processerit ex insania, vel ex desperatione, sed id esse ex circumstantiis dignoscendum, et quando non poterit excludi insania, et sepultura ecclesiastica sit concedenda, tunc eam esse dandam sine funebri pompa et sine funeris celebratione, ut decisum est in Marsicana diei 7 Augusti 1835 relata in Collectanea cit. pag. 58 et seqq. ex cap. XI h. t.° — (e) Non habentur suicidii rei, qui hoc ex honesta causa admiserint, de qua apud Doctores Theologiae Moralis, et multo minus qui speciali S. Spiritus inspiratione et motu id fecisse ex gravibus argumentis et signis comperit sit. — 8° Privantur demum sepultura ecclesiastica decedentes ex causa duelli etiam extra locum conflictus, seu ex vulnere in duello accepto. Imo in horrorem hujus criminis a Benedicto XIV in Constitut. *Detestabilem* de quinto Idus Novembris 1752 hoc singulare statutum est: « sepulturae » sacrae privationem ex Sacrosancta Tridentina » Synodo inflictam morientibus in loco duelli et » conflictus incurrendam perpetuo fore, etiam ante » sententiam judicis, a decedente quoque extra

» locum conflictus ex vulnere ibidem accepto, sive » duellum publice sive privatim indictum fuerit, » ac etiamsi vulneratus ante mortem non incerta » poenitentiae signa dederit, atque a peccatis et » censuris absolutionem obtinuerit, sublata Epi- » scopis et Ordinariis locorum super hac poena in- » terpretandi ac dispensandi facultate. »

9.° Neque hoc vetitum absque sanctione ab Ecclesia propositum est; nam praeter peccatum lethale, quod committunt illi, qui indignum sepultura ecclesiastica donant, cum in re gravi praecceptum Ecclesiae transgrediantur, incurritur ab ipsis aliquando vel excommunicatio vel interdictum. Hodie post Constitutionem *Apostolicae Sedis* pluries citatam *inter excommunicationes latae sententiae nemini reservatas numero 1°* incurrunt excommunicationem majorem latae sententiae nemini reservatam « Mandantes seu cogentes tradi eccle- » siasticae sepulturae haereticos notorios, aut no- » minatim excommunicatos vel interdictos: » quae censura restricta est, cum per antiquum jus ad multas alias personas extenderetur juxta cap. 2 *de haereticis in VI* et *Clementin. 1^a de sepultur.* In hac autem censura nomine haereticorum veniunt apostatae et schismatici pariter notorii. Nec verbum dictum est in citata Constitutione de infidelibus, quia hic casus rarissimus hodie est, cum alius ex iniquitate temporum sit satis frequens. Interdictum pariter ex num.° 2° *ejusdem Constitutionis* ipso jure incurrunt ab ingressu Ecclesiae

« admittentes nominatim excommunicatos ad eccle-
 » siasticam sepulturam. » — Violatur pariter Ecclesia
 vel coemeterium ex indigni tumulatione, prout ex-
 ponetur in *Tit.º XL De Consecratione Ecclesiae
 vel Altaris*, quamvis haec violatio non adveniat
 pro sepultura cujuslibet indigni, sed tantum ali-
 quorum, et non nisi quando casus est publicus seu
 notorius, ut ibi exponetur. — Demum ex constitu-
 tione *cap. 12 h. t.º* corpora haec debent exhumi-
 dari, sed quoad hoc debent fieri duae animadver-
 siones. — Prima est quae in eodem textu indicatur,
 nempe exhumari ea debere, si ab aliorum corpo-
 ribus discerni poterunt, et procul ab ecclesiastica
 sepultura jactari, non ita ut maneant insepulta,
 sed absque ritu ecclesiastico in loco profano se-
 peliri: at si discerni non possint, tunc non sunt
 cum istorum ossibus corpora extumulari fidelium,
 « cum licet non obsit justis sepultura nulla vel vilis,
 » impiis tamen celebris vel speciosa non prosit. » —
 Altera animadversio est hanc extumulationem ex
 canone faciendam esse corporum infidelium, haere-
 ticorum et excommunicatorum, qui sunt vitandi,
 ut constat ex *cit.º cap. 12 h. t.º, can. 27, 28,
 et 29 de consecrat. dist. 1ª, et cap. 2º de haeret.
 in VI. De extumulatione autem aliorum dubitatur*
 apud Doctores, praesertim ex hoc quod ex istorum
 sepultura Ecclesia vel coemeterium non polluat,
 ut indicato titulo dicitur.

De sitibus Sepulchrorum tantum pollutum Coemeterium

11 marc 1882.

TITULUS XXIX.

De Parochiis et alienis Parochianis.

1.º Nomen Parochiae secundum antiquos ca-
 nones tripliciter assumitur, nempe vel pro provincia
 ecclesiastica Metropolitae concessa, ut in *can. 17
 Concilii Ancyran, can. 3º et 9º Concilii Antio-
 cheni et can. 17 Concilii Chalcedonensis*, vel pro
 Dioecesi, prout *can. 1º et 3º h. t.º*; vel demum
 pro determinata Presbyterorum administratione
 sub Episcopo certam plebem regentium, prout in
 hoc titulo communiter; et hoc sub ultimo sensu
 nos hoc nomen assumimus. — Uti pluribus probat
 Berardus *Canones Genuini Gratiani ab apocriphis
 discreti tom. 2º cap. 26* et in *Commentariis in
 Jus Ecclesiast. Dissertatione Sexta*, non ante sae-
 culum quartum Ecclesiae aucto fidelium numero
 et Ecclesiae pace firmata institutae fuerunt extra

civitates et episcopales Ecclesias Parochiae in pagis et vicis. Sed progressu temporis haec subdivisio Dioecesum in Paroecias a canonibus fuit formiter praescripta, quia visa est maxime conducens ad rectam administrationem et regimen christianae plebis. Hinc est quod Concilium Tridentinum *sess. 24 cap. 13^o de reform.* Episcopis injunxerit ut in iis civitatibus et locis, ubi nullae essent parochiales Ecclesiae, quamprimum fieri curarent, non obstantibus quibuscumque privilegiis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, et ubi parochiales Ecclesiae certos non haberent fines, nec earum Rectores proprium populum, fines determinarent, et unicuique proprium Parochum assignarent. Hinc pariter est quod Congregatio Concilii et Congregatio de Propaganda in responsionibus ad relationes Episcoporum insistant in divisione Dioecesum in Parochias, ut cura spiritualis recte procedat, sicubi haec divisio facta non fuerit, vel non sint certi limites Parochiarum.

2.^o Ad conceptum canonum proinde, et praesertim Concilii Tridentini *cit.^o cap. 13 sess. 24* definiri Parochia potest « determinata alicujus Dioecesis Ecclesia auctoritate Romani Pontificis vel Episcopi designata, quae populum intra certos territorii fines circumscriptum habet, et Presbyterum seu Rectorem, a quo Sacramenta, Verbum divinum aliaque spiritualia eidem populo exclusive et ex officio administrantur. » — Porro indicatur — *primo* Ecclesia, est siquidem centrum unio-

nis in ecclesiasticis, prout ipsum nomen Ecclesiae significat et dicitur in psalmis « ut laudent Deum in Ecclesia plebis. » — Haec autem Ecclesia debet esse designata aut Romani Pontificis, aut Episcopi auctoritate, ut constet de legitima Paroeciae constitutione, et dicitur in *can. XI causae 16 quaest. 7^a ac Conc. Trid. sess. 21 cap. 4.^o* Requiritur — *secundo* ut habeat populum intra certos territorii fines circumscriptum in Dioecesi, ex *can. unico caus. 13 quaest. 1^a, et Conc. Trid. sess. 24 cap. 13^o de reform.* ut constet comprehendi in Parochia populum degentem seu incolentem talem partem territorii, prout factitatur in omni jurisdictione civili et ecclesiastica, in quibus semper habetur respectus ad incolas praefixi territorii, unde illud celebre effatum pluries allegatum « extra territorium jus dicenti impune non paretur. » Hoc autem in casu nostro non probat, quod in eodem territorio non possit esse nisi una Paroecia; namque potest esse et duplex et triplex, quando idem territorium incolunt populi diversarum nationum et linguarum, et ita in America Statuum Unitorum in eodem territorio, imo in eadem civitate puta habetur Parochia Hibernorum, et Parochia Canadensium, nempe una comprehendit omnes incolas illius territorii, qui sunt Hibernenses seu loquuntur linguam anglicam; alia comprehendit omnes Canadenses, nempe qui loquuntur linguam gallicam, et sic deinceps; sed utraque omnes contribules comprehendit ibi degentes et non alios alibi con-

stitutos etsi ejusdem nationis et linguae, et sic de aliis casibus dicatur. Requiritur — *tertio* ut sit *Rector certus et unicus*, qui juxta Tridentinum sit proprius Parochus, a quo solo populus licite Sacramenta suscipiat. — Hic autem Parochus esse potest etiam persona *moralis*, ut Monasterium vel Capitulum, quo in casu est locus positioni Vicarii deputati, qui pariter est vel perpetuus vel temporaneus, de quibus egimus *libro I tit.° XXVIII*. Simul ac de hisce tribus constet, habebitur ratio de vera Parochia canonice erecta; et si deficiant documenta de canonica erectione, ipsum factum de delimitatione territorii, assignatione populi et constitutione Rectoris, a quo exclusive Sacramenta licite recipiantur, ab antiquo vigens facit praesumere canonicam erectionem. Exinde optime Schmalzgrueber *num.° 5° h. t.°* quaerit an ad constitutionem Parochiae requiratur etiam fons baptismalis, coemeterium etc., et resolvit, quod etsi ista, quando adsunt, signa sint, ex quibus colligi Status Ecclesiae possit, non tamen sunt signa certa parochialitatis alicujus Ecclesiae, ita ut si desint, possit certo decidi eam non esse parochialem; et quia coemeterium potest adesse ex privilegio in Ecclesia quoque non parochiali.

3.° Concilium Tridentinum in *cit.° cap. 13 sess. 24* jubet « ut Episcopi pro tutiori animarum » eis commissarum salute, distincto populo in certas » propriasque Parochias, unicuique suum perpetuum peculiaremque Parochum assignent, qui

» eas cognoscere valeat, et a quo solo licite Sacramenta suscipiant, aut alio utiliori modo, prout » loci qualitas exegerit, provideant. » Ex quibus verbis clare eruitur et perpetuitas Parochiae, ac perpetuitas Parochi. Parochia enim semel ab auctoritate ecclesiastica constituta non potest dividi nec dismembrari, nisi ex rationibus a jure designatis, de quibus egimus *tit. V hujus libri*. Imo si certi sint limites Parochiarum, sicut et Dioecesium, ne praescribi quidem possunt quacumque longa possessione, obsistentibus canonibus et praesertim *can. 4° et seqq. causae 16 quaest. 3^a et cap. 4° h. t.°*, et quia ob publicam utilitatem sunt constituti. — Quod attinet ad perpetuitatem Parochi, id tenendum est hoc constitutum esse parochiale beneficium, proinde adinstar aliorum omnium esse perpetuitate quoque personali, seu inamovibilitate donatum. Haec proinde perpetuitas, seu inamovibilitas non est gratuita et spontanea concessio Episcoporum, sed provenit ex ipsa positione juris ecclesiastici, quod beneficia non ad tempus seu manualiter, sed in perpetuum atque inamovibiliter conferenda esse constituit. — Sed numquid omnes parochiale officium obtinentes inamovibiles censendi sunt? Non ita: nam aliqui hoc officium precario exercent, eo tempore intermedio, quod elabi debet pro novo pastore eligendo in locum ejus, qui morte, vel alia quacumque causa pastor esse desiit; aut quia ejus vices gerit, qui Parochus habitualis est; et de istis casibus non loquimur.

At quaestio in hoc est: an Episcopus valeat Parochiis jam statutis absque ulla speciali ratione de Rectoribus amovibilibus, non autem perpetuis et inamovibilibus providere? Respondemus vero id eis non licere nisi de Sanctae Sedis auctoritate et venia. Idque evidentibus probatur argumentis. Nam in *tit.º V hujus libri* probatum est beneficia debere conferri *in perpetuum* non vero *ad tempus* vel *manualiter*; idque solum licere Sedi Apostolicae ex plenissima potestate disponendi de rebus ecclesiasticis; cum proinde haec sint beneficia parochialia, idem debet servari modus collationis. Hinc est, quod, ut notavimus in *tit.º XXVIII libri I*, Episcopi Galliae et Belgii hoc reformidantes argumentum voluerint suam praxim probatam iri a Sede Apostolica, ut dicitur in *pag. 36 tom. 1º part. 2ª*, atque eam probatam habuerunt, usque dum Apostolica Sedes non judicaverit aliter esse procedendum. Et jure quidem haec venia S. Sedis requiritur; si enim cum Pontifex omnia beneficia posset facere manualia, nihilominus communiter et ordinarie loquendo ea conferat perpetua, an putandum erit id posse Episcopos legibus canonicis subjectos? Hac animadversione posita tantum valet juxta canones explicari id quod in Concilio Plenariorum Baltimorensi Secundo agebant Patres *tit.º 3º cap. 4º num.º 125*: « Parochialis juris Paroeciae » et Parochi nomina usurpando nullatenus intendimus Ecclesiae cujuslibet Rectori jus, ut ajunt, » inamovibilitatis tribuere; aut potestatem illam

» habere, seu ullo modo imminuere, quam ex recepta in his provinciis disciplina habet Episcopus » quemvis Sacerdotem munere privandi, aut alio » transferendi. » Quid enim? Episcopis Statuum Unitorum Americae competit potestas de jure suo ordinario contra canones facere omnia beneficia parochialia manualia? Et id competit ex recepta in his provinciis disciplina seu consuetudine, quando in *num.º 124* immediate antecedenti ipsi Patres asseverant ibi non fuisse veras Parochias, de quibus constituendis agebant? Quomodo proinde erat consuetudo, si casus hujus praxis exerendae non erant cum positio regularis seu ordinaria Parochorum sit, ut ipsi sint inamovibiles? Dicendum ergo est hanc dictis Episcopis potestatem competere tantum ex tacita venia S. Sedis, quae hanc Synodum recognovit, et dum alias correctiones in ejus textu induxit, super hac re nihil omnino mutandum esse censuit. Cumque non praescripserit eam methodum non esse immutandam, donec aliter a Summo Pontifice fuerit statutum, prout in citato Rescripto pro Gallia et Belgio, sequitur aliud Concilium Plenarium Baltimorensis posse in futurum aliter statuere.

4.º Divisio Dioecesis in distinctas Paroecias a canonibus, ut vidimus, praecepta est pro meliori et tutiori regimine spirituali animarum, nempe ut Episcopus haberet tot designatos cooperatores, qui ratione sui officii eum adjuvare tenerentur in cura animarum. — Ex quo conceptu sequentia legi-

time deducuntur: — (a) Parochos habere debere ab Episcopo participationem pastoralis jurisdictionis, neque ab alio quovis hanc posse concedi, excepto Romano Pontifice. Unde in *tit. VII hujus libri* dictum est hanc participationem dictam institutionem *auctoritativam* semper ab Episcopo dari. Quam quidem tribuit Parocho conferendo beneficium, sive illum in eo instituendo; aut si institutio ad alterum spectat, tunc actu speciali haec recipitur per Episcopum. — (b) Ex Parochorum vero designatione non minui Episcoporum potestatem, cum in Parochia, quidquid potest Parocho, possit etiam Episcopus, qui non cessat esse Ordinarius illius partis gregis, quemadmodum jurisdictio episcopalis in Dioecesi non tollit nec minuit jurisdictionem papalem, cujus Pontificis habentis jurisdictionem in toto mundo sunt quique Episcopi in propria Dioecesi cooperatores. Unde erroris seu exaggerationis revincuntur illi, qui putant Episcopum non posse complere, quod a canonibus tributum est Parochis. Verum siquidem est, quod Episcopi non satis utiliter suum ministerium expenderent, si Parochorum jurisdictionem indiscriminatim exercerent; alia enim sunt Episcoporum, alia Parochorum officia; sed si nihilominus id agerent, id valide et competenter complerent: sicuti si Parocho a canonibus dicitur Sacerdos proprius suorum subditorum, non minus Sacerdos proprius est Episcopus; imo ipse est universae Dioecesis Ordinarius et eminenter proprius Sa-

cerdos. — (c) Si autem quaeratur quamnam potestatem participatam habeat Parocho: cohaerenter ad dicta respondet Berardus in *citato loco* Parochos, dempta exercitatione potestatis ordinis episcopalis, quae per consecrationem ab Episcopis acquiritur; item una excepta administratione jurisdictionis in foro externo, eos habere participatam jurisdictionem administrationis sacrorum. — (d) Haec autem participatio jurisdictionis fit circa certum populum certis limitibus circumscriptum; interest enim ut una Parochia ab aliis in Dioecesi distinguatur; hunc vero populum ita suum habet, ut ubique ei sacramenta valeat ministrare. Hinc S. Congregatio in *Posnaniens. 19 Novemb. 1707* respondit: « Curatos unius Dioecesis vocatos a Parochis alienae Dioecesis posse in ista audire confessiones suorum subditorum sine licentia Episcopi, non vero reliquorum non subditorum. Sacerdotes autem approbatos ad confessiones audiendas in una Dioecesi vocatos a Parochis alterius Dioecesis non posse in ista audire confessiones quorumlibet absque approbatione Episcopi loci. » Quae insuper participatio jurisdictionis pro Sacramento Poenitentiae exhibendo patitur restrictionem, ut Episcopus possit sibi casus reservare, a quibus proinde Parocho non potest absolvere, nisi habuerit ab Episcopo specialem delegationem. — (e) Parochi porro dicuntur a jure positi, quia et juris ecclesiastici habetur praeceptum dividendi Dioecesim in Parochias et eis Parochos praefi-

ciendi, et quia extensio auctoritatis eorum a jure est determinata, et proinde dicitur esse ordinaria. — Propter hoc receptum est Parochum posse subdelegare hanc auctoritatem, tum ad actus singulos, tum ad universalitatem causarum, nempe constituendo Vice-Parochos, de quibus statuendis ab ipso cum approbatione tamen Episcopi locuti sumus *tit.º V hoc libro*. — Tantummodo hic notandum est, Parochos saltem post Concilium Tridentinum non posse pro Sacramento Poenitentiae aliquem Sacerdotem deputare, nisi ab Episcopo fuerit probatus ad audiendas confessiones, alioquin ejus ministerium frustraneum est. Nam *cap. 15 sess. 23* statuitur: « nullum Presbyterum etiam regularem » posse confessiones saecularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi » aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis... » approbationem... obtineat. » — Quidquid proinde ante id temporis fuerit, hodie Parochi non valeant hac auctoritate uti.

5.º Quibus omnibus praemissis quaeri potest, prout ab omnibus Juristis hic quaeritur, quatenam sint jura parochialia. Haec profecto dicuntur *jura et officia*, quia sub uno respectu ea pertinent *exclusive* ad Parochos, et sub alio respectu ab eis praestanda sunt. Et sequentia notantur: — 1º Jus administrandi baptismatis quoad suos parochianos in forma liturgica competit *exclusive* Parochis, servata forma solemnium, quae Pontifici vel Episcopo secundum canones est reservata, et nullus alius

oblatio → { *exclusiva* } *administratio*

Presbyter id praestat *licite*, nisi de ejus licentia vel Episcopi. — Dicimus *in forma liturgica*, nam in casu necessitatis quisque potest baptismum ministrare. — 2.º Sacramenti Poenitentiae minister est Parochus pro suis parochianis, unde in *cap. 12 de poenitent. et remission.* ipse dicitur *Sacerdos proprius*, non ad exclusionem Episcopi, sed omnium aliorum Presbyterorum. Verum hodie hac in re gravissima ex canone inducta est variatio; cum quisque valeat quemcumque approbatum Presbyterum adhibere praeter Poenitentiarium Dioecesis, et in casu necessitatis quemque Presbyterum etiam non approbatum, cui Ecclesia dat in eis adjunctis jurisdictionem, nulla quoque facta casuum reservatione, quae tantum viget etiam pro Parocho et Poenitentiaro in casibus ordinariis. — 3.º Parochus est, qui secundum canones suis parochianis minister est Sacrae Eucharistiae: sed hodie qua ex privilegio, qua ex consuetudine hoc Sacramentum passim a Presbyteris saecularibus tum regularibus indistincte dispensatur in ipsorum quoque Ecclesiis, irrequisito etiam Parocho, excepta Communionem paschali et per modum viatici. Sunt quidem catholicae regiones, in quibus prima quoque Communio est *functio exclusive* parochialis; et cum ad pietatem fovendam maxime conducat praesertim luctuosis hisce nostris temporibus, fovendus hic usus est, et respiciendus velut laudabilis consuetudo locorum. — Communio autem paschalis, nisi ex pri-

vilegio aut ex permissione Parochi non potest suscipi nisi in Paroecia sub sanctione non satisfaciendi praecepto ecclesiastico. Et qui Sacerdotes saeculares id facere praesumunt, nisi in casu necessitatis, graviter peccant: item dicendum de Communionem per viaticum, et quoad Regulares prout in Constitutione *Apostolicae Sedis* inter excommunicationes latae sententiae Romano Pontifici simpliciter reservatas sub *num.º 14º* notatur, eam incurrunt « Religiosi praesumentes Clericis aut laicis extra » casum necessitatis Sacramentum Eucharistiae » per viaticum ministrare absque Parochi licentia, » prout statutum erat in *Clementin. 1ª de Privileg.* In cit.ª vero Clementina erat exceptio per verba: « Sane Religiosis illis, quibus est ab Apostolica » Sede concessum, ut familiaribus suis domesticis » aut pauperibus in hospitalibus suis degentibus » Sacramenta possint ecclesiastica ministrare, nul- » lum ex praemissis volumus quoad hoc praeju- » dicium generari. » Quae limitatio jam in jure recognita erat prout constat ex Concilio Tridentino *sess. 24 cap. XI de reform.*, ac proinde manet quoque post *dictum articulum 14* laudatae Constitutionis. — Si quaeras cur talis sanctio gravior proposita sit contra Religiosos, videtur posse concludi id factum esse, quia ipsi facilius hoc praesumere valent occasione suorum privilegiorum. — 4º Sub eisdem poenis seu censuris Religiosis interdicitur nominatis personis administratio Extremae Unctionis, quemadmodum ex citatis juribus constat, prout Presbyteris saecularibus sub gravi

peccato vetatur: sunt enim haec jura Parochorum. — 5º Solemnizatio pariter et benedictio matrimoniorum spectat ad Parochum, quae sine hujus, vel Ordinarii dioecesani licentia coram alio Sacerdote contracta sunt irrita ex Conc. Trid. *sess. 24 cap. 1º de reform. matrim.* Citata Extravagans Clementina Regulares matrimonia solemnizantes absque venia Parochi quoque censuris plectebat; sed haec censura a Constitutione *Apostolicae Sedis* omissa est, quia difficilior est praesumptionis casus propter irritationem illius conjugii. — Eodem modo ad Parochum spectant denunciationes matrimoniorum, festorum, vigiliarum, quibus est jejunandum, jubilaorum et indulgentiarum prout habetur ex Concilio Tridentino *d.º cap.º de reform. matrim. Decreto de Indulgentiis, de delectu ciborum, jejuniis et diebus festis.* — 6º Ad Parochum pariter spectat benedictio et dispensatio cinerum, palmarum, et cereorum in festo Purificationis, benedictio fontis baptismalis, celebratio Missae in Caena Domini et Sabbato Sancto, delatio SS.^{mi} Sacramenti et Processiones per Parochiam. — 7º Verbi Dei praedicatio aliud est jus et officium Parochorum. — De hac obligatione loquitur Concilium Tridentinum *sess. 5ª cap. 2º de reform.* praescribens, ut quicumque curam animarum obtinent, per se, vel per alios idoneos, si legitime fuerint impediti, diebus saltem dominicis et festis solemnioribus plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis, do-

cendo ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum brevitate et facilitate sermonis vitia, quae eos declinare, et virtutes, quas sectari oporteat, ut poenam aeternam evadere et caelestem gloriam consequi valeant. Moneantur proinde ab Episcopo negligentes: ubi vero moniti trium mensium spatio suo muneri defuerint, per censuras ecclesiasticas, seu alias ad ipsius arbitrium cogantur, ita ut etiam, si ei sic expedire visum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id praestet, honesta aliqua merces persolvatur, donec principalis ipse resipiscens officium suum impleat. Cui Constitutioni consona sunt, quae ab eodem Concilio Tridentino traduntur *sess. 22 De Sacrificio Missae cap. 8^o et sess. 23 cap. 1^o de Reform.*, et quae statuit Concilium Romanum *anni 1725 tit. 1^o cap. 4. 1^o* — Non exigitur vero concilio formalis, sed sufficit familiare ac facile dicendi genus auditorum captui accomodatum, prout edocet Benedictus XIV *Instit. Eccles. 10^a num. 3. 1^o* Parochi autem, nisi legitime impediuntur, tenentur per se, non per coadjutores divini verbi ministerium explere, ut pluries S. Congregatio Concilii rescripsit. Neque ab hoc officio eos excusat vel contraria consuetudo quoque immemorabilis, quae dicenda est corruptela, neque usus advocandi per annum sacros praecones, neque parvus auditorum numerus, aut alia quaelibet causa. Neque Parochis Cathedralium, etiamsi sint Vicarii amovibiles, hoc suffragatur, quod ibi praedicationis munus Epi-

scopo incumbit. Imo si justa adsit causa, Episcopus potest Parochis mandare non obstante contraria consuetudine, ut etiam eo tempore Parochi praedicent. — Quod attinet ad tempus istius parochialis praedicationis S. Congregatio pluries decisit, ut fieret post Missae Evangelium. Et Parochus non potest exigere etiam si sit pauper, ut pro hac praedicatione detur stipendium. — Nemo poterit esse *habitualis* substitutus Parochi in hoc munere, nisi ab Episcopo probatus; habentem autem praedicandi potestatem ab Episcopo Parochus non valet a praedicando prohibere. Haec omnia in opere *de Visitatione Sacrorum Liminum parte prima volumine primo pag. 402 et seqq.* Angelus Lucidi pluribus allatis S. Congregationis Concilii decisionibus firmat, ubi quoque exponit *num. 322* quod S. Congregatio etsi non dubitaverit de facultate Episcopi super imponenda poena pecuniaria contra Parochos Verbum Divinum negligentes praedicare, nihilominus eam stabiliter in Synodo Novariensi constitutam non decuisse respondit. — 8^o Missam celebrare et applicare pro populo sibi commisso, pariter spectat ad Parochum, relate ad quam obligationem sunt haec consideranda. Concilium Tridentinum *sess. 23 cap. 1^o de reform.* inter praecipuas obligationes jure divino impositas his, qui curam animarum commissam habent recenset obligationem offerendi sacrificium juxta illud Apostoli Pauli: « Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus

» constituitur in his quae sunt ad Deum, ut of-
 » ferat dona et sacrificia pro peccatis. » Prae-
 ceptum hoc divini juris ecclesiastica lege determi-
 nari debebat, quibus diebus urgeret, et Concilium
 Tridentinum hoc non determinavit. Quod tamen
 deinde pro Latinis determinatum est a S. Congre-
 gatione Concilii in *Pistorien et Praten diei 24 Fe-*
bruar. 1699, et deinde ab Innocentio XII *Con-*
stitut. Nuper a Congregatione diei 24 Aprilis
anni 1699. Nam cum Urbanus VIII *Constitut.*
« Universa per orbem » idibus Septembris 1642 con-
 stituisset dies festos ab omnibus fidelibus per chri-
 stianum orbem servandos, tunc statutum est, ut
 illis omnibus dominicis et diebus festis, quibus pa-
 rochiani tenebantur Missam ex praecepto audire,
 iis diebus Pastores animarum obligarentur pro po-
 pulo sibi commisso eandem Missam applicare, et
 hoc constitutum est ad veteris principii strictis-
 simam interpretationem. Sicut enim juxta veteres
 canones unusquisque parochianus illis diebus te-
 nebatur Missam proprii Sacerdotis audire, sic pro-
 prius Sacerdos illis iisdem diebus teneretur pro
 grege suo Missam offerre. Quod principium re-
 tentum adamussim est tempore Benedicti XIV per
 Constitutionem *« Cum semper oblatas » diei 14*
Augusti 1744. Cum enim eo tempore non fuisset
 in omnibus servata Constitutio Urbani VIII, et
 fuissent nonnulla festa dimidiata, in quibus nempe
 poterat vacari operibus servilibus, tamen cum
 Missa esset audienda a fidelibus, et ideo dicti sunt

dies festi dimidiati, semper vigeat principium:
 « quibus diebus populus christianus tenetur Mis-
 sam audire, iis diebus Pastores tenentur pro po-
 pulo sibi commisso Missam applicare. » Et quidem
 hoc fuisset exactum ad veterum canonum sensum,
 quibus parochiani tenebantur interesse Missae pro-
 prii Parochi juxta *cap. 3 h. t.*, a quo tamen
 statuto recessum est per privilegia Regularibus
 concessa, ut refert Giraldi *op. cit.º part. 1ª sect. 500*
 et ex consuetudine contraria. Ast cum deinde in
 supradictis diebus festis fuisset quoque sublata
 obligatio pro fidelibus audiendi sacrum; hinc coe-
 pit a nonnullis disceptari an eo ipso cessasset obli-
 gatio in Pastoribus offerendi sacrum pro populo.
 Equidem, ut docet *Pius IX* in Constitutione *« Aman-*
tissimi Redemptoris » diei 3 Maii 1858 § 4º de
 hoc rationabiliter dubitari non poterat, cum in ta-
 libus indultis concedendis Romani Pontifices « in-
 » tegram inviolatamque legem esse voluerunt, ut
 » praedictis diebus nihil in Ecclesiis umquam in-
 » novaretur quoad consuetum divinorum officio-
 » rum ordinem et ritum, utque omnia eo prorsus
 » modo peragerentur, quo antea peragi solebant,
 » cum Urbani VIII Constitutio plene vigeret, qua
 » festi de praecepto dies servandi fuerant prae-
 » scripti; » et cum Romanae Congregationes in
 casibus particularibus consultae pro obligatione
 instarent. Sed omnem abstulit ambiguitatem lau-
 datus Pontifex, cum in d.ª Constitutione § 5º de-
 claraverit, statuerit et decreverit Missam appli-

candam esse pro populo omnibus diebus dominicis, et aliis festis de praecepto etiam sublatis, quemadmodum ipsi animarum curatores debebant, dum Urbani VIII Constitutio in pleno suo robore vigeat. Subjungit autem: « Quod vero attinet ad » festos translatos dies id unum excipimus, ut sci- » licet quando una cum solemnitate divinum offi- » cium translatum fuerit in dominicum diem, una » tantum Missa pro populo sit a Parochis appli- » canda; quandoquidem Missa, quae praecipua di- » vini officii pars est, una simul cum ipso officio » translata existimari debet. »

6.° Ad quam Missae applicationem tenentur primo loco Episcopi, qui sunt primarii totius gregis pastores. Quod et complures magni nominis Doctores tenent apud Ferraris *Bibliotheca Canonica verb. Missa art.° 3° num.° 11°*, et hodie constat ex declaratione S. Congregationis Rituum in *Causa Marsorum diei 12 Novembris 1831* apud Gardellini, *num. 4520*, in qua proposita sunt dubia: —
 « 20 Cum Episcopus diebus festis applicare de- » beat pro ovibus suis, quaeritur an Episcopo hisce » diebus pontificaliter celebrante, Canonici debeant » Missam conventualem pro benefactoribus cantare » et quando? — 22 Episcopi tenentur ne ad ap- » plicationem Missae pro ovibus post adeptam pos- » sessionem, an statim ac electi sunt in consisto- » rio? — 23 Vicarii Capitulares tenentur ne ad » hanc Missae applicationem sede vacante? » —
 Et S. Congregatio respondit: — « Ad 20 Hebdo-

» madarius, vel ille cui onus inest Missae conven- » tualis, illam celebret lectam vel ante vel post » Missam conventualem. — Ad 22 Post adeptam » possessionem. — Ad 23 Negative. » — Prae- » scindimus a sententia unius vel alterius Doctoris, qui putant hanc obligationem ad Episcopos extendi nedum pro diebus festis et dominicis, sed etiam pro singulis diebus, quibus celebrant, cum S. Congregatio Rituum, ut advertit Congregatio Concilii in litteris ad Administratorem et Visitatorem Apostolicum Nullius S. Martini *die 18 Aprilis 1864*, asserto Episcopis onere applicandae Missae pro populo, nullam tamen circa certos pro celebratione dies legem praestituerit. — De Missionariis et Vicariis Apostolicis recolantur dicta ad *titulum XXVIII lib. I numer. 6°*, ubi quoque sermo instituitur de onere applicandi Missam pro populo quoad Vicarios in beneficiis parochialibus sive perpetuos sive temporaneos. — De Praelatis Regularibus circa Missae applicationem pro suis subditis regularibus, an teneantur, adhuc sub iudice lis est; namque refert Giraldi in *Exposit. Jur. Pontif. part. 2^a sect. 85* fuisse propositum dubium apud S. Congregationem Concilii *die 15 Maii 1710*, sed deinde subjungit S. Congregationem distulisse resolutionem, ad eamque numquam amplius devenisse. Certum tamen est non teneri nec Vicarios Generales, nec Coadjutores Vicariorum Apostolicorum, quia haec obligatio Episcopos, et Vicarios Apostolicos percellit, si Dioecesis fundata est. — Parochi deinde ad

hanc applicationem tenentur, qui videlicet habitu et actu curam animarum exercent.—Tertio demum loco omnes parochiales Vicarii, de quibus egimus, quomodocumque habeant curam animarum. Hinc si Parochi duas administrant Parochias pro utraque dictis diebus Missam applicare tenentur, unam per se, alteram per substitutum celebrando, nisi ex necessitate, aliaque gravissima causa habeant facultatem *binandi*, de qua alias sermo fiet, quo casu utramque per se ipsos celebrare et applicare tenentur, etsi ex causa possint petere a S. Congregatione Concilii, et obtinere, ut unam tantum Missam pro utraque Paroecia celebrent. — Illud quoque quaesitum est, ut habet Angelus Lucidi in *cit.º opere part. 1ª volum. 1º pag. 426*: « an Parochi, qui duabus vel pluribus » Ecclesiis insimul conjunctis praesunt, tot Missarum applicandarum sive per se, sive per alium » onere graventur, quot numero sunt parochiales » Ecclesiae, quae simul conjunctae reperiuntur? » Et affertur a laudato Auctore auctoritas Secretarii S. Congregationis Concilii in Causa Salamantina VV. SS. LL. *diei 22 Febr. 1862*, qui asserit S. Congregationem constanter respondisse hujusmodi Parochos minime solutos esse a Missae applicatione pro utraque paroecia, nisi forte paroeciae plenaria et extinctiva fuerint unione conjunctae, prout declaratum est in *Lucen Applicationis Missae pro populo diei 12 Mart. 1774*; in qua proposito dubio: « An Parochi duabus Ecclesiis » parochialibus propositi tenerentur dominicis aliis-

» que festis diebus in unaquaque Ecclesia sive per » se, sive per alium applicare pro populo in casu? » Responsum est: « Affirmative, exceptis tantum parochiis unitis unione plenaria et extinctiva, et » scribatur Episcopo juxta instructionem. » Atque in Instructione dictum est: « S. Congregationem numquam dubitasse quod Parochi teneantur applicationi supradictae Missae pro populo singulis diebus dominicis et festis in unaquaque ex Ecclesiis parochialibus, quae vel aequè principaliter, vel subjective conjunctae sunt, atque incorporatae, cum applicatio Missae unius tantummodo pro populo locum habeat in iis parochialibus, quae invicem adeo unitae, conjunctae atque incorporatae sunt, ut ex duabus una prorsus cum extinctione tituli alterius evaserit. »— Quae omnia videntur quoque posse applicari propter paritatem rationis Episcopis, si habeant plures Sedes Episcopales principaliter unitas, quemadmodum si sint Administratores alicujus Praelaturae, quae Sedi Episcopali quoad gerendam jurisdictionem sit perpetuo unita, prout exempla in Italia nostra non desunt. Illud extra dubitationem positum est, quod si Episcopus praeter curam generalem Dioecesis sit quoque Parochus unius Parochiae, applicando Missam pro suis dioecesanis non satisfacit obligationi, quae sibi uti Parocho inhaeret. Namque S. Congregatio de Propaganda Fide in causa, cui titulus *Nonnulla dubia Missam pro populo respectiva*, ad dubium: « An Episcopus Drumorensis, » qui Parochi quoque officium exercet, dum Mis-

» sam pro suis parochianis applicat, suae satisfaciat obligationi, quae sibi uti Parocho inhaeret? » Sub *die 23 Martii 1863* respondit: « Juxta expressa negativa, et ad mentem: mens est, quod si Episcopus nullum habet in civitate Newry Vicarium, qui eam Parochiam administret, teneatur eum ibi constituere, ac per eum ipsum debeat etiam satisfacere obligationi Missae pro populo, animadverso tamen, quod ad normam Constitut. Benedicti XIV « *Cum semper oblatas* » in praefinienda congrua ad illiusmodi onus habeat respectum. » — Demum advertendum est Missam hanc non posse in alium diem rejici celebrandam ex quavis causa, sed Parochos teneri eam celebrare in ipsis festis diebus, uno excepto casu contemplato in Constitutione Benedicti XIV « *Cum semper oblatas* » num.º 8, quo Parochi adeo pauperes inveniantur, ut ferme ex eleemosinis, quas a fidelibus pro Missarum celebratione accipiunt, vivere cogantur; tunc enim Episcopis datur facultas cum eis dispensandi ad hoc, ut etiam diebus festis hujusmodi eleemosinam ab aliquo pio offerente recipere et pro ipso applicare valeant, dummodo ad necessariam populi commoditatem in ipsa Ecclesia parochiali Missam celebrent, ea tamen adjecta conditione, ut tot Missas intra hebdomadam pro populo applicent, quot in diebus festis infra eandem hebdomadam occurrentibus juxta peculiarem intentionem alterius pii benefactoris obtulerint. — Neque valent Parochi indiscriminatim huic obligationi supplere per alium, nisi

causa canonica existat. Causa canonica est quam in cit.^a Constitutione recognoscit Benedictus XIV num.º 17 in casu, quo Parochia praebendae canonicali adnexa est; tunc enim Parochus in suo turno Missam conventualem celebrabit et applicabit pro benefactoribus, parochialem vero alteri suo sumptu celebrandam et pro populo applicandam committet. In aliis casibus necessaria est venia S. Congregationis, ut testatur Secretarius in folio Causae Mechliniensis *Missae pro populo diei 25 Septembr. 1847*. In specie autem rejecta fuit causa applicandi Missam pro defuncto, praesente cadavere, ut in Fesulana *diei 26 Januarii 1771*; in qua positus dubiis: — « 1º An Parochi in dominicis aliisque diebus festis praesente cadavere possint celebrare Missam pro defuncto, et ad alium diem transferre Missam pro populo applicandam in casu? — 2º Et quatenus negative, an saltem applicationi Missae pro populo supplere possint per alium Sacerdotem in casu? » — Et Sacra Congregatio respondit « ad primum et secundum negative. » — Et in genere quamcumque consuetudinem in hac re S. Congregatio rejiciendam esse censuit in *d.^a Mechliniensi*. — De prohibitione per antiquos canones edita, ut tempore Missae Parochialis sive ante ipsius celebrationem aliae non dicantur quasi in praejudicium auctoritatis parochialis, hodie generaliter loquendo omne vetitum recessit, et nonnisi ex circumstantiis peculiaribus verificari potest, an casus debeat admitti,

vel impediri. De hac re videatur Institutio Ecclesiastica 44^a Benedicti XIV.

7.^o Diximus *num.* 5^o legem hanc de determinatione dierum, quibus curam habentes animarum tenentur pro populo sibi commisso applicare Missam, respicere Latinos; nam quod attinet ad Orientales aliorum rituum habemus sequentem decisionem S. Congregationis de Propaganda Fide. — Cum enim proposita fuissent dubia: — « 1 An obligatio applicandi Missam pro populo, » quae secundum jus Ecclesiae Occidentalis imposita est Parochis, aliisque ecclesiasticis viris animarum curam obtinentibus, locum similiter habeat pro iisdem personis de ritu Orientali? — Et quatenus affirmative: — « 2 Circa determinationem dierum an debeant observari leges, ac consuetudines rationabiles, quae forte vigeant in aliquibus Dioecesibus dicti ritus? — 3 In defectu harum legum et consuetudinum an hujusmodi determinatio fieri debeat ad normam, et ex omni parte juxta leges occidentales? — 4 An ob graves causas et circumstantias fieri locus queat alicui reductioni dierum praefinitorum a legibus occidentalibus, atque etiam totali dispensationi cum obligatione tamen orandi pro populo in illis ipsis Missis, quae pro ipso applicandae forent? » — Et E^mi Patres in comitiis *diei 23 Mart. 1863* rescribendum esse censuerunt: — « Ad 1 Affirmative, reformato dubio, ut sequitur. » An obligatio Missam applicandi pro populo, quae

» secundum jus Ecclesiae Occidentalis imposita est » Episcopis et Parochis, locum similiter habeat » pro iisdem personis de ritu Orientali? — Ad 2 » Affirmative. — Ad 3 Negative. — Ad 4 Provisum in tertio, et ad mentem. Mens est, quod, » data opportunitate, manifestetur Episcopis Ecclesiae Orientalis obligatio, quae etiam in eadem » Ecclesia incumbit animarum Pastoribus, applicandi aliquoties Missam pro populo, adeoque » quod pertinet ad dierum determinationem, exponatur ipsis Ecclesiae Occidentalis disciplina, ut » lumen exinde sumant, quo dijudicare valeant, » usque dum eadem disciplina suis Dioecesibus » convenire possit, itemque ut proponant quocumque casu S. Sedi temperamenta, quae magis » necessaria censeantur. » — Haec sunt jura Parochorum, quae addendum esset jus sepulturae, seu portionis canonicae, si parochianus alibi sepeliatur, et jus decimarum, primitiarum, aliarumque oblationum; verum de primo egimus titulo antecedente, et de altero agemus sequente.

Basileae
Feb. 23. 1863
Propaganda Fidei
Ab. A. B. C. D. E.

TITULUS XXX.

De decimis, primitiis et oblationibus.

1.º Decimae, ut in titulo *formaliter* sumuntur, constituunt jus, et definitio est « jus petendi partem plerumque decimam, vel aliam fructuum honeste collectorum propter exercitum vel debitum ministerium spirituale. » — Dicitur jus, quia non tam considerantur decimae *objective*, quam in obligatione pendendi, et vicissim in jure eas exigendi. — Additur eas constituere partem *plerumque* decimam, cum numquam determinatum saltem generaliter sit, quod fructuum pars decima exacte fuerit, sed modo decima pars, modo vigesima, modo vero minor vigesima, modo major. — Subsequitur in definitione, quod sit pars fructuum honeste collectorum, ut indigetetur decimam esse posse de omnibus fructibus non solum qui ex agris colli-

guntur, sed etiam de fructibus ex industria comparatis, dummodo honeste collecti sint, namque iniquitatis partem non vult habere Sanctuarium Dei, ut melius in progressu explicabitur; et iterum quia non de omnibus agrorum fructibus semper exigitur decima, sed nunc de majoribus tantum, nunc quoque de minimis. — Demum in definitione habetur ratio ministerii spiritualis exerciti vel debiti, ut innuatur causa propter quam istae decimae penduntur. — Porro decimae dividuntur in *reales* et *personales*. — *Reales* dicuntur, quae debentur ex fructibus agrorum et in genere fundorum: — *personales* autem, quae dantur ex lucro solâ hominum industriâ quaesito, puta negotiatione, artificio etc. Et *reales* rursus subdividuntur in *majores* et *minores*, prout dantur ex potioribus fructibus agrorum, puta frumento, vino, olio, et similibus; aut ex fructibus minimis agrorum, puta pomis, foeno, leguminibus etc. — Atque iterum sunt decimae vel *rigorosae* vel *non-rigorosae*, prout dantur in quantitate decimae partis, aut in quantitate vigesimae et similium. — Et demum decimae *reales* sive praediales aliae sunt *antiquae* aliae *novalis*, prout fundus jam ab antiquo eos producere fructus solebat, et ex productis fructibus sunt datae decimae, vel potius nunc primo excultus est, et coepit producere fructus, ex quibus decima penditur; quemadmodum si agri non exculti nunc primo excolantur, et sylvae caedantur, ut fiant vineae, oliveta etc.

Quo jure 2.º Quibus animadversis, ab omnibus Doctolibus haec primo proponitur quaestio: quo jure decimae debeantur? Et quamvis non desint dictiones canonum, quibus suadeatur, quod decimae debeantur jure divino, ut in *cap. 1º h. t.º*, et quod a Domino sint institutae, tamen retinendum est eas deberi ex jure ecclesiastico. Equidem si decimae suscipiantur pro jure exigendi necessaria ad sustentationem sacrorum ministrorum, tunc posset jure sustineri eas non modo ex divino praeecepto, sed etiam de jure naturali esse debitas, secundum illud *Matth. 10* « dignus est operarius mercede sua » et aliud Pauli in *1ª ad Corinth. cap. 9º vers. 7, 10 et 17*; non vero si decimae accipiantur ut constituunt partem fructuum ministris sacris pendendam, prout est unum ex redditibus ecclesiasticis. Iterum aliquando in canone dicitur quod decimae institutae sint a Domino, ut *cap. 14 et 25 h. t.º*, sed hoc debet ita intelligi, ut concludamus in novo foedere auctoritate ecclesiastica institutas esse decimas ad instar divini praeepti, quod erat in veteri lege; neque enim novae legis oeconomia eadem est ac antiquae, cum Ecclesiae non sit prohibitum habere etiam possessiones bonorum stabilium, ut ex eis possit habere fructus ad cultum divinum, opera charitatis exercenda et sustentationem ministrorum. Decimae proinde sunt de praeecepto ecclesiastico. Neque ex documentis sustineri potest eas esse de institutione Apostolica; aevo enim Apostolico Ecclesia vivebat oblationibus

et pretiis fundorum a fidelibus venditorum, et non nisi posteriori aetate invectae sunt decimae, quando istae voluntariae oblationes valde imminutae sunt. — Cum autem quaeritur de quibus rebus decimae debeantur, responsio in promptu est, eas deberi tum ex fructibus fundorum, tum ex proventibus industria honesta comparatis. Et quidem quoad decimas reales non quaerimus an vero contractu praedia empta sint, vel potius furto quoque ablata et injuste retenta; nam hae sunt velut fundi servitutes, proinde a quovis possessore praestantur: sed de fructibus ex industria collectis exigimus ex *cap. 23 h. t.º* ut honesta sit ratio lucri, ne Ecclesia videatur participare peccatis alienis, aut ditescere ex pretiis peccatorum. — Porro haec erat in principio lex ecclesiastica; sed plurimum deinde potuit consuetudo a canonibus etiam admissa, per quam primae, quae obsoleverunt, fuere decimae personales, quae in omnibus fere locis, testantibus Doctoribus, jamdiu non penduntur, et loco earum subvenerunt *jura stolae* quae nuncupantur. — Consuetudo pariter quoad decimas praediales, vel quoad quantitatem jamdiu praescripsit, ut loco decimae partis debeatur vel duodecima, aut vigesima pars, et ita porro; sive praescripsit quoad diversas fructuum species, ut decima debeatur de majoribus fructibus, vel etiam de minoribus. Hodie proinde in hac re non procedimus *jure scripto*, sed *consuetudinario*.

3.º Quae quidem decimae antequam Dioe-

ceses dividerentur in distinctas Parochias, debebant solvi Episcopo loci ex *can. 1° caus. 16 quaest. 7^a*; sed ea facta divisione de jure communi cesserunt Parochis ex *cap. 29 et 30 h. t.*, et Episcopus non habuit nisi *quartam decimarum* ex *cap. 15 de offic. ordin. et cap. 13 h. t.*, nisi contra ipsum in hoc praescriptum esset lapsu quadraginta annorum ex *cap. 4° de praescript.* Quia tamen aliquando Episcopi erant quoque alicujus Paroeciae speciales Rectores, vel tota Dioecesis in Parochias divisa non erat, hinc Concilium Tridentinum *sess. 25 cap. 12* loquitur de decimis praestandis sive Cathedralibus, sive aliis Ecclesiis. — Relate ad Parochos vero hoc in jure statutum est, ut decimas personales ille Parochus haberet, in cujus Parochia quis domicilium servaret, quippe a quo Sacramenta exigere ex suo ministerio poterat ex *cap. 20 h. t.* — Quoad decimas reales principio appellabatur ad consuetudinem ex *cap. 18 et 20 h. t.*; deinde vero decisum est spectare ad Parochum, in cujus Parochia fundi erant positi ex *cap. ult.° de paroch., cap. 2° de praescript. in VI et cap. 2° de restit. spoliator. in VI*, et ita hodie in tribunalibus ecclesiasticis ac in SS. Congregationibus deciduntur causae de decimis, si quae nostris temporibus aguntur: fallit tamen aliquando regula in Ecclesiis filialibus, circa quas nonnumquam decimae reales spectant ad Parochum Ecclesiae matricis, et Parochus Ecclesiae filialis non habet jus nisi ad congruam portionem

ab Episcopo assignandam, ut exponit Fagnanus in *cap. 29 h. t.° num.° 42*. Id tamen verificatur tantummodo in decimis realibus, nam personales decimae ubi servantur, et jura quoque stolae cedunt semper Parocho illi, a quo Sacramenta recipiuntur, vel exigi ex domicilio possunt. — Praeter Parochos et Episcopos, ut supra, jus commune recognovit decimas datas vel assignatas Beneficiatis aut Canonicis, quae solvi debent ex *cap. 21 h. t.*, cum legitima auctoritate fuerunt eis concessae; sed si isti id non probent, contra eos etiam habet Parochus ad illas colligendas intentionem in jure fundatam ex *cit.° cap. 2° de restit. spoliator. in VI*. Reliqui vero Clerici id juris acquirere nequeunt, nisi titulo peculiari privilegii pontificii, vel transactione, aut permutatione et praescriptione alioque simili, sicut ex pluribus capitibus juris ecclesiastici fit manifestum; laici autem post Concilium Lateranense III nequeunt id obtinere nisi Pontificio indulto ut habeant jus exigendi decimas aliis debitas, quod dictum est privilegium concessae *infeudationis* decimarum.

4.° Circa illos, qui dare decimas jubebantur, haec porro principia erant jure ecclesiastico statuta: decimae personales praestari debebant ab omnibus fidelibus, qui in spiritualibus Parocho subjecti ab eo Sacramenta petere valebant, nisi ex legitimo aliquo titulo se poterant tueri ab illis non praestandis ex *cap. 23 et 24 h. t.* Clerici vero ab iis pendendis erant immunes ex *cap. 2°*

h. t.°, sicut et Religiosi, qui Clericis coaequati sunt. — Decimae autem reales dantur a quibuscumque possessoribus fundorum, si fundi jam huic servituti subjecti erant, dummodo novi possessores fundorum non sint ex privilegio, ut in *cap. 32 h. t.*°, immunes a decimis pendendis et personalibus et realibus. Hinc est quod coloni judaei decimas dare tenentur de fundis ab ipsis, ex cultis *cap. 16 h. t.*°, et de fundis ab ipsis acquisitis ex *cap. 18 de usur.*, atque haec videtur esse sententia probabilior contra Berardum, *op. cit.*° *Dissert. 6^a cap. 5^o de Parochis tom. 1^o* propter rationes in dictis juribus allatas, nempe ut Ecclesiae servarentur indemnes, et ordo statutus pro sustentatione Parochorum non destrueretur. — Clerici porro decimas reales non solvunt de bonis beneficialibus, bene vero de bonis patrimonialibus, prout ostendit Giraldus in *op. cit.*° *part. 1^a sect. 502* allegans etiam plures decisiones S. Congregationis Concilii. — Relate ad Regulares quoque videatur Giraldus *op. et part. cit.*° *sect. 506*, qui concordatis omnibus juribus concludit sic: « Certum est omnes Regulares exemptos esse a solvendis decimis tam personalibus quam praedialibus illis, quae dari deberent ex fructibus hortorum suorum, nutrimentis animalium et de novalibus, quae fiunt ex terra prorsus inculta, quam propriis manibus seu sumptibus excolunt; secus vero ex fundis decimalibus, qui ad eos cum tali onere translati sunt, nisi quoad hoc speciatim exemptionis pri-

» vilegio muniti sint, ut etiam expresse declaravit » Alexander IV in *cap. 4^o h. t.*° in VI § *Cae- » terum.* » — Qui decimas ceteroquin debitas non solvunt, peccatum mortale admittunt, sicut et qui subtrahunt, aut solvi impediunt; deinde a Concilio Tridentino *sess. 25 cap. 12* jubentur excommunicari, a qua excommunicatione absolvi nequeunt nisi plene satisfaciant, aut saltem sufficienter caveant de satisfactione, et si notorii essent peccatores etiam sepultura ecclesiastica privati sunt. — Decimae porro istae in pluribus regionibus ex desuetudine desierunt, ut dictum est; et in iis, in quibus adhuc vigent, aliqui vel regulariter exempti facti sunt legitima compositione, et alii per nefas se exemptos putaverunt denegantes satisfacere huic obligationi, propter quod inductae sunt poenae antierius memoratae. Sed usque ad nostra tempora qui denegaverunt reddere Ecclesiae decimas ceteroquin debitas erant privatae personae, contra quas invocata auctoritate tribunalis etiam civilis *in possessorio* (nam in petitorio est exclusive competens tribunal ecclesiasticum) pluries reddida est justitia. Excipimus unum aut alterum exemplum regis excommunicatione mulctati, qui subditos a pendendis Ecclesiae decimis eximere est ausus. Verum hac nostra aetate Regna et Gubernia, quae se jactant catholica, vel saltem quae gentes catholicas moderantur absque ulla praevia concordia cum potestate ecclesiastica inita abolitionem de-

quis iudicet decimarum proclamare ausa sunt. — Haec vero decimarum abolitio juxta diversas leges triplici modo processit. Vel enim simpliciter fuit interdicta decimarum exactio absque ulla ratione indemnitate, ut in Hispania anno 1835 ad annum 1851 et alibi; sive fuerunt decimae sublatae data a Gubernio compensatione saltem partiali ut in Sardinia, et nonnullis aliis Italiae Provinciis ut Hetruria; aut demum ab eisdem Guberniis data est facultas civibus, ut decimas ecclesiasticas de fructibus agrorum debitas *in natura*, possent solvere *in pecunia*, determinata aliqua summa vel concordata inter creditorem et debitorem, vel, illo renuente, statuta a iudice, sive ut possent hoc onus redimere exhibendo capitalem summam, cujus fructus annui essent loco decimarum. Isti casus fuerunt expensi ac resoluti a S. Sede per medium Sacrae Poenitentiariae, velut ex pluribus positionibus constat, et ad casus propositos resolvendos institit S. Tribunal in sequentibus normis ac principiis. — (α) Legem civilem non posse absque praevio tractatu et consensu auctoritatis ecclesiasticae tollere, aut quomodocumque modificare jus decimarum Parochis aliisque competens, nec proinde absolvere fideles ab obligatione illas pendendi, neque eis tribuere potestatem redimendi istas praestationes, cum circa bona et personas ecclesiasticas laicis in quavis dignitate constitutis non sit data auctoritas imperandi, sed magis obsequendi necessitas. Rogatam autem Ec-

clesiam a Guberniis facilem se praebuisse ad haec jura remittenda aut modificanda, receptâ seu concordatâ indemnitate, ut se temporibus accommodet et populorum necessitatibus, prout factum est in Bavaria aliisque regionibus. — (β) Attento autem quod praefata Gubernia hanc indemnitem promiserint, et quod haec ab ipsis fuerit populis manifestata ratio, ut auxerit tributa et taxas modo importabili, posse Parochos aliasque memoratas personas petere a Guberniis dictam indemnitem; qua recepta, fideles non esse inquietandos super decimarum solutione, dummodo parati sint stare mandatis S. Sedis desuper ferendis. — (γ) Haec vero clausula apponitur, tum quia hoc jus decimarum ex sola lege civili peremptum non est, licet ex data indemnitate non sit locus eas petendi, tum quia indemnitates istae a modernis Guberniis Ecclesiae pollicitae non solent esse duraturae.

5.º Nonnulla verba nunc dicenda sunt de primitiis et oblationibus. — Primitiae sunt primi fructus, qui Dei beneficio ex rebus nostris gignuntur ipsi Deo offerendi in gratitudinem et recognitionem beneficii fructuum. In novo foedere tantum ex jure ecclesiastico primitiae solvebantur Ecclesiae ejusque Ministris, prout constat ex *can. 6º distinct. 32 et cap. 65 caus. 16 quaest. 1ª et cap. 1º h. t.º* Istae cedebant Parocho, vel Rectori Ecclesiae ex *cap. 26 h. t.º*, sed hodie obsoleverunt. — Oblationes autem sunt dona, quae fideles sive per se sive

*non supra 6000 faciem, nulla autem oblatio
in summa supra.*

per sacros Ministros ad altare offerunt, vel ad manus Sacerdotis deferunt. Eae definiuntur *capit 29 de verb. Signif.* « quae offeruntur Ecclesiae quo- » cumque modo in Missa vel extra, in Ecclesia » vel extra, religionis intuitu. » Nulla est necessitas vel ex scripto jure obligatio eas offerendi, nisi consuetudo sit, quam tamen probare difficile est, quia opus esset ostendere populum velle istis repetitis oblationibus se obligare ad eas faciendas in futurum. Ubi autem id probetur, eae non sunt negligendae, et ad eas servandas populus per Episcopum cogi potest, ut habetur ex *cap. 42 de simon.* Oblationes hae si fiant intra fines Parochiae, cedunt Parocho regulariter, nisi Ecclesiae sint exemptae, quo casu ad Rectorem Ecclesiae pertinent, qui juxta D. Thomam *2^a 2^{ae} quaest. 86 art. 2^o* eas partim in usus proprios, partim in cultum divinum et partim quoque in sustentationem pauperum impendet, nisi constet eas factas esse ad determinatum usum, quia tunc ex *Clementin. 2^a de religios. domib.* in illum usum debent impendi. Licet enim Parochus sit istius voluntatis executor, non valet tamen eas oblationes in alios usus destinare, imo nec alius Pontifice Romano inferior juxta laudatam *Clementinam* Constitutionem. — Oblationes vero non recipit Ecclesia nisi a fidelibus, qui vinculo excommunicationis ab ea non sunt separati; et inter hos aliqui etiam a faciendis oblationibus arcentur, nempe usurarii ex *cap. 3^o*

de usur., raptores ex *cap. 2^o de raptor.*, pauperum oppressores ex *can. 2^o dist. 89*, sacrilegi ex *can. 17 caus. 17 q. 4^a*, poenitentes, durante statu publicae poenitentiae ex *can. 118 dist. 3^a de consecr.*, et meretrices aliique publici peccatores, ut cum S. Thoma sentiunt Doctores.

TITULUS XXXI.

De Regularibus et transeuntibus ad Religionem.

San gauristi 1.° Christus Dominus dedit Ecclesiae suae et hominibus ad sui sequelam vocatis *praecepta* et *consilia*; praecepta sunt vera mandata, sine quorum observatione non potest obtineri finis seu assecutio regni coelorum juxta illud Christi apud Matthaeum *cap. 19 vers. 17*: « Si vis ad vitam ingredi, serva mandata etc.: » consilia autem ab Ipso proposita sunt pro iis, qui volunt perfectionem christianae charitatis assequi secundum verba ejusdem Christi Domini *Matth. cit. cap.° vers. 21*: « Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes et » habebis thesaurum in coelo, et veni, sequere » me. » Cum vero non quod optimum est jubeatur, sed quod bonum simpliciter, hinc dicit optime Hieronymus *epistola 22* ad Eustachium: « Ubi

» praeceptum datur, ibi necessitas est serviendi; » ubi consilium ibi offerentis arbitrium. » — Tria vero sunt praecipua consilia evangelica nempe *castitatis, paupertatis* et *obedientiae*, dicente Christo Domino de castitate *Matth. 19*: « sunt eunuchi, » qui seipsos castraverunt propter regnum coelorum; » et de paupertate *eodem cap.°*: « si vis » perfectus esse, vade, vende omnia quae habes » etc.; » et de obedientia *cap. eod.*: « qui vult venire post me abneget semetipsum. » Quae ideo praecipua dicuntur, quia et generalia nuncupantur, cum alia vocentur particularia, et longe aliis praestantiora ad acquirendam perfectionem, ut probat Suarez *De Religione tract. 7° lib. 1° cap. 8°*. Quae tria, inquam, et necessaria sunt et sufficiunt ad constituendum completum perfectionis acquirendae statum, qui dicitur quoque status religiosus stricte sumptus, seu completus. — De religioso statu ita sumpto sic agebat Suarez *op. et tract. cit.° lib. 3° cap. 2° num.° 3°*: « Status religiosus secundum se et quoad substantiam suam ab ipso » Christo Domino immediate traditus et institutus » fuit: atque ita dici potest esse de jure divino non » praecipiente, sed consulente: haec est sententia » omnium catholicorum recte sentientium. » Cum autem ad rationem status requiratur aliqua causa permanentiam seu firmitatem inducens; cumque homo nequeat stabilis reddi in observantia consiliorum per auctoritatem id ei ab extrinseco imperantem, obligatio proinde stabilitatis, seu perma-

nendi in observantia consiliorum non poterit oriri nisi ex voluntaria et libera hominis promissione, seu voto Deo facto.

2.° Exhortatio Christi Domini ad consilia haec sequenda, ut ad perfectionis evangelicae culmen devenire quis valeret, non poterat esse effectum vacua, nec Ecclesia ab ipso fundata, quae sanctitatis notam debebat praeserere, hac illustratione carere, ut nempe sanctitas vitae in ea exterius patefieret exercitio omnium virtutum in summo gradu, ita ut comprehenderet quoque consilia evangelica. Et revera a primis quoque saeculis, imo ab exordio propagationis christianae religionis qui profiterentur consilia haec tria evangelica cum stabilitate non defuerunt. Tales erant primi Hierosolymitanae Ecclesiae fideles multi, tales erant qui primorum trium saeculorum christiani vocabantur ascetae; imo et tales fuisse Essenos seu Therapeutas Aegyptiacos temporum apostolicorum coevos probabile est, neque defuerunt verae Moniales, quae omnia allatis indubiis monumentis pluribus commonstrat Bouix in *Tractatu de Jure Regularium part. 1^a sect. 4^a cap. 2^o § 2.°* Ascetae isti perseverantes in exercitio trium evangelicorum consiliorum, licet in pagis et in magnis quoque urbibus viventes, nullum alium habuere vitae suae externum moderatorem aut institutorem nisi Spiritum Sanctum per internas collustrationes et inspirationes eos in proposito adjuvantem. — Hos initio saeculi quarti Antonius Aegyptius, praeunte Paulo

Thebaeo, fecit exemplo suo anachoretas, eorumque magister fuit. Ad eum quippe, ut refert Athanasius in Vita Sancti Antonii, cum multi accessissent, persuasit illis ut vitam solitariam eligerent, et sic eremus habitata est a Monachis, qui rebus suis relictis coelesti instituto nomen dabant. Usque autem ad id temporis Religiosi erant solitarii, nempe non agebant vitam in communi, quamvis Antonius, et ejus excellentiores discipuli illorum directionem spiritualem suscepissent, et hinc eos inviserent. — Basilius tandem in Oriente Religiosos fecit coenobitas, seu in communi viventes sub directione Superioris et scripta Regula ab omnibus servanda, quod in Occidente praestitit Benedictus Nursinus, a quibus, nempe a primo in Oriente, ab altero in Occidente Monachismus universus formam sumpsit. — Caeterum Monachi et Monasteria in manu Episcoporum erant, in quorum Dioecesi erant fundata, et hinc post Synodum Oecumenicam Chalcedonensem plura a Conciliis particularibus de Episcoporum juribus in Monachos et Monasteria decreta sunt, instituendi nimirum et destituendi Abbates, visitandi Monasteria, regulas approbandi, curandi regularem disciplinam, animadvertendi in Monachos ab ea deficientes, et alia exercendi, quae Passerinus *de Statu hominum quaest. 189 art. 10 n.° 666*, et Thomassinus *De veter. et nov. Eccles. disciplin. p. 1^a lib. 3^o cap. 27 § 2^o* recensent. Sufficiat commemorare testimonium Adriani II, qui scribens Carolo Calvo inquit:

« Nostis, quia omne Monasterium in potestate
» Episcopi esse debet. »

3.° At progressu temporis respectus habitus est ad haec Monasteria et associationes hominum per exercitium trium consiliorum evangelicorum voto firmatum tendentium ad perfectionem christianam, et Ecclesia voluit specialiter curare hanc ipsius status eminentiam, quod fecit per exemptionem, de qua sermo erit in *titulo XXXVI*, et per concessionem solemnitatis votorum, de qua nunc agendum nobis est. Quo primum tempore solemnitas haec votorum inventa fuerit ab Ecclesia disputant Auctores, nonnullis asserentibus hanc a saeculo Ecclesiae quarto *ex more*, et saeculo sexto *ex lege* Justiniani Imperatoris a Gregorio Magno recognitae prodiisse, aliis autem asserentibus eam inductam esse saeculo undecimo Ecclesiae. Praeferenda mihi videtur sententia Van-Espen, qui tenet distinctionem inter vota *simplicia* et *solemnia* coepisse accipi paulo ante medietatem saeculi decimiprimi, quia tunc primum ea distinctio invenitur in canone 7 Concilii Romani sub Innocentio II relato a Gratiano *caus. 27 quaest. 1^a can. 40*, cui consentit Berardi in *Commentar. ad Jus Ecclesiast. Dissertat. 4^a cap. 5^o* edicens in eo Concilio Lateranensi fuisse expresse statutum et confirmatum, quod antiquitus fuerat partim imperialibus legibus, partim consuetudine et acquiescentia inductum.

4.° Potius despiciendum est quid importet

tributa votis solemnitas. Haec est doctrina canonica, solemnitatem non esse votis intrinsecam vel essentialem, ut votum simplex et solemne differant specie, sed eam esse votis extrinsecam et accidentalem proveniente ex Ecclesiae dispositione, prout constat ex *cap. unic.° de voto et voti redemptione in VI* per verba: « *Nos attendentes, quod voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiae est inventa,* » et ex alia Bulla Gregorii XIII « *Ascendente Domino* » anni 1584. Ex quibus sequitur: — (α) posse votum fieri *ex solempni simplex*, quia, ut ait Suarez *op. et tract. cit.° lib. 2° cap. 11 num. 1°*, « haec solemnitas pendet ex lege Ecclesiae, quae » licet supponat votum editum, nihilominus in sui » duratione, vel in ablatione legis et effectus ejus, » non pendet a voluntate vel intentione voventis; » et licet solemnitas sit in voto morali modo, re » vera non addit illi, nisi denominationem extrin » secam; et ideo sine mutatione voti vel voventis » per ablationem legis auferri potest. » — (β) Posse votum ex *simplici fieri solempne*, quin necessaria sit nova intentio voventis. Hoc tamen est recte intelligendum, quatenus votum illud usque adhuc simplex, incipiat ex apparitione legis producere effectus solemnitatis, quos antea non producebat. Neque de se est necessarium, quod interveniat nova intentio voventis, cum accessio solemnitatis naturam voti et obligationis non immutet, vel aggravet. Neque dicatur ex injunctione S. Sedis vota ex simplicibus facta solempnia iterum emittenda

esse, prout patet ex Constitut. Clementis XI « *Ex debito* » diei 3 Aprilis 1710 per verba: « Nos » praefatam Congregationem Bethlemitarum in veram religionem cum votis solemnibus ex integro » etiam ab iis, qui haecenus vota hujusmodi in » eadem Congregatione emisissent, emittendis, ita » tamen ut nova vota emittentes, prius de inefficacia praecedentium votorum ad constituendos » eos veros religiosos certiores, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo erigimus et » instituimus. » At, sicut ex ipso textu apparet, haec votorum renovatio indicta fuit ad alium effectum, nempe ut scirent voventes, se nunc esse vere religiosos cum votis solemnibus, quales antea non erant cum votis simplicibus. Verum non est hic modus usitatus procedendi S. Sedis; namque aliae Constitutiones id non ferunt. Enimvero Innocentius XII Constitutione « *Ex debito* » diei 20 Martii 1700 Congregationem S. Hyppoliti in civitate Mexicana in religionem erexit his verbis: « Praefatam Congregationem Sancti Hyppoliti in » formalem regularem religionem sub regula S. » Augustini cum votis solemnibus castitatis, paupertatis et obedientiae, necnon hospitalitatis auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuo » erigimus et instituimus. » Idem jam praestiterat Gregorius XV pro *Presbyteris Matris Dei* elevando eam Congregationem cum tribus votis simplicibus ad religionem trium votorum solemnium Constitutione « *In supremo* » diei 3 Novembris 1621,

et Congregationem Clericorum regularium Scholarum Piarum ad religionem pariter trium votorum solemnium Constitutione « *In supremo* » diei 18 Novembris 1621, et Paulus V fecerat cum Monialibus Visitationis a statu Congregationis elevans ad statum Religionis cum tribus votis solemnibus; in quibus bullis nulla est instituta ratio repetendi, seu iterum emittendi vota solemnia post nuncupationem votorum simplicium. — (γ) Quin imo adeo extendi potestatem Ecclesiae et Romani Pontificis, ut aliquem effectum solemnitatis voti possit tribuere votis simplicibus, prout factum est a Gregorio XIII in Bulla *Ascendente Domino* jam citata, in qua voto simplici castitatis edito a Scholasticis Societatis Jesu dedit hanc vim, ut *quamdiu votum durabit*, nempe quamdiu illud non solvat Societas Scholasticum dimittendo, matrimonium subsequens irritet; de quo inferius alia dicentur. — Solemnitas porro voti castitatis ab Ecclesia invecta in hoc consistit, ut votum illud habeat efficaciam perpetuo inhabilitandi voventem ad matrimonium subsequens, prout Bonifacius VIII in *cit.º cap. un.º de voto et voti redempt.* edicit, et in irratione antecedentis matrimonii rati et non consummati, ut exponetur *tit.º XXXII.* — Voti paupertatis solemnitas consistit in inducenda in vovente incapacitate dominii, quae importat expoliationem dominii quoad omnia illa bona, quae profitens possidebat, et inhabilitatem ad alias quascumque res sibi in futurum acquirendas. Quae incapacitas juridica acquirendi,

prout et spoliatio cujuscumque dominii antea habiti ne retento quidem *radicali*, ut ajunt, non sequitur necessario ex natura voti. — Demum voti obedientiae solemnitas est in vi huic voto ex Ecclesiae dispositione alligata reddendi irritabiles per Superiorem promissiones Religiosi omnes sive Deo sive hominibus post emissum votum solenne factas, etsi ceteroquin per se subsistere, ac sustineri valerent. Unde complexive dici potest trium votorum solemnitatem consistere in vi per dispositionem Ecclesiae illis addita irritos vel saltem irritabiles faciendi certos quosdam actus Religiosi votorum accidentali perfectioni contrarios.

5.° Progressu autem temporis alia substantialis conditio quoad statum religiosum inducta est, quam proposuit Innocentius III in Concilio Lateranensi IV prout refertur *cap. ult.° de religios. domib.* « Ne nimia Religionum diversitas gravem » in Ecclesiam Dei confusionem inducat, firmiter » prohibemus, ne quis de caetero novam Religionem » inveniatur; sed quicumque ad Religionem converti » voluerit, unam de approbatis assumat. Similiter » qui voluerit religiosam domum de novo fundare, » regulam et institutionem accipiat de approbatis. » Cui constitutioni accesserunt Constitutio alia Gregorii X in Concilio Lugdunensi celebrato anno 1273 relata in *cap. unic. de religios. domib. in VI*, et alia Joannis XXII relata in *extravag. Joannis XXII de relig. domib.* Ex quibus Decretis eruuntur sequentia consecutaria: — (a) approba-

tionem novarum Religionum factam esse *causam majorem*, nempe Summo Pontifici reservatam, quae prius erat causa episcopalis. — (b) Hanc vero legem non solum esse prohibentem, sed etiam irritantem, ita ut sine facultate Pontificis inducta Religio sit irrita, seu potius attentata, nec valeant vota in ea emissa, prout aperte innuitur in *cit.° Extravag. Joannis XXII.* — (c) Per istam quoque legem non recognosci esse in statu religioso eum qui solitarie, seu privatim in domo sua degat, etsi non impediatur quis ne solitarie vivens vota substantialia Religionis emittat. — (d) Plures Auctores contendere sub hisce interdictis venire quoque Congregationes religiosas, imo et eas improprie dictas religiosas, quin et novos vivendi modos sub regula jam probata; non autem Sodalitia et Confraternitates; quamvis non desint Auctores, qui eas non fuisse comprehensas asseverent. — Primi tamen Auctores et ipsi confitentur hanc legem quoad extensionem ad Congregationes in desuetudinem abiisse, ut nostris temporibus in contrarium praxis est, prout inferius dicemus: vide hac in re Bouix *op. cit.° part. 2^a sect. 1^a cap. 2^o § 2.°* Quidquid autem hac super re sit, id certum profecto est Sedem Apostolicam a tempore Innocentii III usque saltem ad Tridentinum non approbasse nisi veras Religiones, id est cum votis solemnibus, et cum regula ab ea quoque probata, nisi esset de jam existentibus ab Ecclesia admissis. Unde jure Bonifacius VIII in *d.° cap. un. de voto in VI* dicere

potuit, votum solemne illud dici quod solemnizatum fuit per professionem expressam, vel tacitam factam in aliqua de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis. Neque dicendum est huic regulae factam esse exceptionem in approbatione Societatis Jesu; namque etsi in ea, prout ex *Constitutione jam cit.*^a Gregorii XIII, Scholastici post edita tria vota simplicia haberi debeant ut veri Religiosi, et votum simplex castitatis ab ipsis editum dirimat conjugium contrahendum usquedum non fuerint a Societate dimissi, quod pro istis constituit veram specialitatem; tamen illa Religio habet vota solemnia, proindeque non facit regulae generali exceptionem. Imo et hodie in Ecclesia verae Religionis hic idem conceptus perseverat; proinde Religio recte definitur: — « Stabilis in com-
 » muni vivendi modus fidelium sub certa regula
 » ad christianae charitatis perfectionem tendentium,
 » editis tribus substantialibus votis perpetuae castitatis, paupertatis et obedientiae, ab Ecclesia, tributa votis solemnitate, approbatus. » — Ex dictis facile intelligitur definitio; sed ut melius omnes definitionis partes explicentur, id notare sufficiat ad essentiam status religiosi haec de jure positivo addita esse, nempe: — (α) ut hic modus vivendi sit *in communi*; — (β) ut sit sub certa regula et Superiore, qui secundum hanc normam a S. Sede approbatam dirigat, habeatque super Religiosum spiritualem jurisdictionem. — *Regula* est diversa a *constitutionibus*: illa semper debet esse probata,

et continet coordinationem mediorum praescriptam ad ducendum Religiosos ad perfectionem; constitutiones vero determinant modum utendi mediis a regula praescriptis; et istae plerumque non habent pontificiam approbationem, imo pro varietate temporum mutantur. — (γ) Vocantur autem illa vota *substantialia*, quia debent esse in omnibus Religionibus; tamen hoc non impedit, quod possint et alia superaddi. — (δ) Ut demum sit approbatus ab Ecclesia, tributa votis solemnitate. — Ex eo autem quod regulae diversae sint, omnes tamen ex approbatione Ecclesiae aptae ad votorum adimplementum perfecte procurandum; et ex eo quod alia quoque vota interseri possint, nempe vel ministrandi infirmis etiam peste infectis, aut de non ambiendis dignitatibus, vel de redimendis captivis, aliisque, exurgit multiplicitas Religionum quam profani nequeunt intelligere et ideo irrident: quae vota substantialia si remanserint, semper erit vera Religio.

6.º Sed jam a tempore Concilii Tridentini alius stabilis vivendi modus in Ecclesia inventus est, qui tria substantialia vota includeret, sed careret solemnitate votorum, quippe in eo edebantur simplicia vota, et venit sub nomine *Congregationis*. Imo et alius supervenit, qui non haberet quidem essentiam status religiosi, formam tamen illius imitaretur, et aliquid ex ipso retineret, puta solum votum castitatis, vel tria vota temporanea, vel similem modum vivendi absque ullis votis;

unde primae vocatae sunt *Congregationes proprie religiosae*, postremae *Congregationes improprie religiosae*. — Quia vero plures Professi votorum simplicium sive per dimissionem, sive per dispensationem, sive per arbitrarium egressum ad suas redibant domos, et qui prius Religiosi coram omnibus apparuerant, saeculares et uxorati illico in mundo conversabantur, quod, attentis praesertim illius aevi moribus, grave scandalum pariebat; hinc potissimum causae fuit, ut non bene olerent apud Ecclesiam tales Congregationes, et a Pio V vocarentur « *Lubricum vitae genus*; » unde est, quod Ipse has vel probatas, vel permissas Congregationes voluerit reducere ad proprie dictas Religiones, quod fecit Constitutione « *Lubricum vitae genus* » diei 1 Decembris 1568, edicens, ut singuli Superiores earundem « palam et sponte deliberent, et » declarent inde, convocato quamprimum per singulas hujusmodi Congregationes generali, vel alio » supremo juxta morem cujusque Congregationis » Capitulo, ibique electa una, sub qua degant ex » regulis approbatis..... trium votorum substantialium professionem regularem intra mensem » solemniter emittant..... Qui vero excurso jam » anni spatio in ipsa Congregatione morati, refugerint intra tempus praedictum profiteri, detracto » Religionis habitu, et redditis etiam in vinculis, » si opus sit, receptorum et administratorum » omnium rationibus, ejiciantur; nec deinceps patiantur in ullis hujusmodi Congregationis do-

» mibus, seu Conventibus amplius conversari. » Ast deinde ab hac severitate recessum est ex indulgentia et benignitate S. Sedis, attentis praesertim alicujus Regni circumstantiis, in quo arctabatur Regularium Ordinum libertas. Et nostris temporibus Congregationes exurgunt vel a Sede Apostolica, vel ab Ordinariis probatae. Quin imo Sedes Apostolica Congregationem in principio non approbat, sed eam vult videre jam sufficienter propagatam, et ex operibus, vel ex exitu eam experiri, an sit vitalis, nec ne. — Juverit hic transcribere methodum apud S. Congregationem Episcoporum et Regularium usitatam in approbandis novis Institutis votorum simplicium relatum in *Collectanea Cardinalis Bizzarri pag. 828 et seq.* « Quando » petitur approbatio alicujus Instituti, debent exhiberi litterae commendatitiae Antistitum locorum, » in quibus domus reperiuntur. Preces remittuntur » Episcopo Dioecesis, in qua prima fundatio, vel » domus princeps sita est, ut referat de fine seu » scopo, de fundatione, de numero domorum, fratrum vel sororum, de mediis sustentationis, » deque utilitate, progressu, aliisque similibus. — » Si institutum recenter erectum fuerit, et unam vel » alteram domum dumtaxat habeat, nec opportuna constitutiones adhuc concinnatae fuerint, » laudatur finis seu scopus fundatoris, vel finis » seu scopus Instituti pro qualitate circumstantiarum. — Post congruum tempus, si Institutum » satis diffusum fuerit, uberes fructus retulerit, et

» Ordinarii locorum illud commendaverint, decre-
 » tum laudis Instituti conceditur, et aliquando
 » etiam decretum approbationis, praesertim si con-
 » stitutiones efformatae fuerint, nec in substantia-
 » libus graves difficultates praeseferat: quod ta-
 » men approbationis decretum ordinarie ad aliud
 » tempus solet differri. Communicantur vero ani-
 » madversiones circa constitutiones. — Constitu-
 » tiones autem non approbantur, nisi per con-
 » gruum tempus experientia comprobatae fuerint,
 » et ad tramites animadversionum reformatae. Ap-
 » probatio, ut plurimum conceditur per modum
 » experimenti, ex. gr. ad triennium, vel quinquen-
 » nium, et deinde, nisi aliquid obstet, decretum
 » definitivum approbationis constitutionum tribui-
 » tur. — In decretis commendationis vel approba-
 » tionis, sequentes formulae adhibentur. — Prae-
 » missa narratione prooemiali quoad erectionem,
 » finem, vota, auctoritatem Superioris, vel Mode-
 » ratricis generalis, concluditur: — 1 SS^mus D. N.
 » etc. Attentis litteris commendatitiis Antistitum
 » locorum, scopum seu finem fundatoris (vel In-
 » stituti) praesentis decreti tenore summopere lau-
 » dat, atque commendat. — 2 SS^mus D. N. etc.
 » Attentis etc. praefatum Institutum uti Congre-
 » gationem votorum simplicium sub regimine Mo-
 » deratoris (vel Moderatricis) Generalis, salva Or-
 » dinariorum jurisdictione ad praescriptum sacro-
 » rum Canonum, et Apostolicarum Constitutionum,
 » praesentis decreti tenore amplissimis verbis lau-

» dat, atque commendat, dilato ad opportunius
 » tempus constitutionum examine. — 3 In decreto
 » approbationis Instituti, verbis, *laudat, atque com-*
 » *mendat, subrogantur, approbat, atque confir-*
 » *mat.* — 4 SS^mus etc. suprascriptas constitu-
 » tiones, prout in hoc exemplari continentur, ad
 » triennium (vel quinquennium) per modum expe-
 » rimenti approbat, atque confirmat. — 5 Si vero
 » concedatur definitiva approbatio constitutionum,
 » auferuntur verba, *ad triennium etc. per modum*
 » *experimenti.* — In hujusmodi vero negotiis ex-
 » pediendis omnia debent referri Summo Pontifici;
 » quin imo Sanctissimus D. N. Pius PP. IX in
 » audientia habita die 22 Septembris 1854 man-
 » davit, ut in posterum supplicationes pro lauda-
 » tione vel approbatione alicujus Instituti, et con-
 » stitutionum confirmatione, antequam quidquam
 » a S. Congregatione agatur, Summo Pontifici re-
 » ferantur. » — Sed magna est differentia inter
 » statum illarum Congregationum, prout ab Ordina-
 » riis locorum probantur, vel potius obtinuerint ap-
 » probationem a S. Sede, quemadmodum ostendetur
 » in *tit.° XXXV hujus libri.* — In antiquitate ex-
 » titerunt et progressu temporis a S. Sede etiam
 » probata sunt quae dicebantur religiosa Instituta
 » *duplicia* seu *mixta*, et vulgo *Monasteria duplicia*.
 » Non loquimur de iis Monasteriis duplicibus, in
 » quibus insimul Monachi et Moniales inhabitarent;
 » namque ista vix apparuerunt, statim ut maxime
 » periculosa a jure vetita sunt. Prostant in Decreto

Gratiani antiquissimi canones id vetantes, praesertim *can. 21 caus. 18 quaest. 2^a*, cujus verba sunt: « Definimus minime duplex Monasterium » fieri, quia scandalum id et offendiculum multis » efficitur etc. » et *can. 22*: « In nullo loco Monachos et Monachas permittimus unum Monasterium habitare etc. » Sed de illis Institutis duplicibus loquimur, in quibus etsi viri domos a mulierum domibus separatas inhabitent, et illi aequae ac istae Superiorem et Superiorissam Generalem habeant; tamen unum idemque efformant Institutum, et Superiorissa Generalis Superiori Generali subjecta manet, et mulierum erga viros dependentia et subjectio servatur. Experientia autem demonstravit rem esse periculi plenam; et antiquum exemplum Beguardorum et Beguinarum, de quibus sermo est in *Clementin. 1^a de Religios. domib.* maxime commonstrat, ut meruerint in Concilio Viennensi abolitionem, damnationem et dissolutionem, et ut ad istud Institutum pertinentes excommunicarentur. Et licet non omnia Instituta duplicia tam abnormia fuerint, nihilominus a dissidiis et schismatibus haud immunia fuere, ut nostris temporibus demonstravit Institutum SS. Cordium in Gallia vulgari nomine *de Piepus* appellatum, ut colligitur ex Decreto edito a S. Congregatione Episcoporum et Regularium sub *die 27 Januarii 1860*. Ex quibus omnibus factum est, ut S. Sedes haec Instituta duplicia non amplius probaret; quin imo jam existentia, si emen-

dare non posset, prorsus eliminaret. — Idipsum dicendum est de quadam *Affiliatione* Congregationum Sororum alicui Instituto virorum, quae nihil aliud est, nisi duplicis Instituti cum fraude efformatio; quae pariter a S. Sede non probatur, ut in *Collectanea Card. Bizzarri pag. 166* « *Incerti loci in Gallia;* » atque ex aliis exemplis S. Congregationis Episcoporum et Regularium passim.

7.° Religiones autem omnes cum votis solemnibus ad supremas has species in Ecclesia reductae sunt: — 1° ut aliquae essent *monachales*, quae vi proprii instituti non ordinarentur ad ministeria Clericorum, sed principaliter profiterentur vitam contemplativam et solitariam: — 2° in *clericales*, quae ex proprio instituto ministeriis spiritualibus occuparentur, et ad ea deputarentur ordinatione ecclesiastica: — 3° in *mendicantes*, quae vitam activam contemplativae jungentes vi proprii instituti possessionem bonorum immobilium excluderent, et viverent ex piorum largitionibus et elemosinis: — 4° in *militares*, quae ordinarentur ad militandum pro defensione fidei christianae et Ecclesiae catholicae adversus barbaros aliosque ejusdem hostes. Contra Turcas a zelo fidelium istae invectae sunt ad defendenda loca sancta contra eorum invasiones, et ad tuendam libertatem peregrinationis fidelium ad loca eadem; sicut ad impediendam invasionem terrarum christianarum ab eorumdem hostium exercitibus, nec non ad arcendos conatus haereticorum. In qua re non de-

Quin?
 fuerunt acerrimae etherodoxorum et incredulorum incriminationes, qui bella sic dicta *cruciata* tot conviciis aggressi sunt, cum revera non essent nisi bella justae defensionis. — 5° In *hospitalarias*, quae ex scopo instituti ordinarentur ad exercitium hospitalitatis quoad receptionem peregrinorum, curationem infirmorum etc. — Eas vero Religiones a se ordinandas *exclusive* adeo Ecclesia reputavit, ut ne cogitaverit quidem posse hac super re intervenire civilium Guberniorum auctoritatem et pondus. Et jure quidem, cum tales causae essent eminenter spirituales, quae respicerent statum evangelicae perfectionis; ad quam omnia ab auctoritate ecclesiastica erant ordinanda. Fecit et amplius Ecclesia, cum in Concilio Tridentino Religionibus quoque ex suo instituto mendicantibus concessit in commune jus possessionis bonorum immobilium, exceptis domibus fratrum S. Francisci Cappuccinorum, et eorum, qui Minores de observantia vocantur. Unde omnibus Ecclesia suo jure utens concessit juridicam existentiam cum ceteris illis facultatibus, quibus eis opus erat ad ordinate et recte existendum. — Verum nequivit effugere civilium Guberniorum usurpationem, etiamsi ista se ut catholica exhiberent. Omittimus loqui de antiquis aliquorum Regum dispositionibus et legibus, quibus quoad familias regulares earumque statum propria auctoritate aliquid decernere ausi sunt etiam contra canonicas sanctiones, prout citatur lex de *morte civili* Regularium solemniter profes-

sorum inducta a veteribus Galliae legibus et in aliis quoque Codicibus civilibus inserta, qua tales Professi considerabantur non comprehensi in haereditatibus intestatis sibi obvenientibus, cedentibus deinde in emolumentum monasteriorum, sed recta istae haereditates transibant ad alios, tamquam si Professi jam mortui naturaliter forent. At post medietatem saeculi decimi octavi quoad familias Regularium incepit ex parte civilis potestatis quaedam aemulatio contra auctoritatem ecclesiasticam, ut eas subducerent ab observatione regularum jam ab Ecclesia constitutarum. Sic eis non placuit, ut unum corpus efformarent sub Superioribus Generalibus, sed eas Superioribus tantum localibus subjectas voluere, et praesertim displicuere relationes, quae cum centro catholicitatis servassent. Sic non placuit aetas sexdecim annorum a canonibus dicta sufficiens ad vota solemnia edenda, et ita de reliquis. — Post funestam Galliarum revolutionem vero sub fine saeculi decimioctavi erumpentem, restauratis deinde Guberniis civilibus, coepit distingui inter Societates religiosas *recognitas* a Statu, et eas *non-recognitas*; primis enim aliqua jura concedebantur licet sub beneplacito auctoritatis civilis supremae; aliis nulla associationis jura erant concessa, donec Gubernium Italicum primum ex Guberniis catholicae Nationis anno 1866 die 7^a Julii edidit legem: « Della Soppressione delle Corporazioni Religiose, » cujus primus articulus est: « Non sono più riconosciuti nello Stato gli Ordini,

» le Corporazioni, e le Congregazioni religiose re-
 » golari e secolari ed i conservatori e ritiri, i quali
 » importino vita comune, ed abbiano carattere ec-
 » clesiastico. Le case ed i stabilimenti appartenenti
 » agli Ordini, alle Corporazioni, alle Congregazioni,
 » ed ai conservatori e ritiri anzidetti sono sop-
 » pressi. » — Veteribus usurpationibus Principum
 Ecclesia jure poterat respondere in causis mere
 pertinentibus ad disciplinam ecclesiasticam esse
 omnino incompetens Gubernium civile, illiusque
 leges nullius esse valoris, quia latae a non habente
 auctoritatem. Sicut aliis Guberniis poterat merito
 respondere Societates has religiosas non egere re-
 cognitione Status, et proinde etiam ante illam re-
 cognitionem, eaque non obtenta, omnibus suis ju-
 ribus gaudere, eisque privari non posse nisi per
 apertam injustitiam; sunt enim haec Ecclesiae
 jura, quorum recognitionem Status negare nequit.
 Ast non hisce tantum utemur argumentis ad de-
 monstrandam irrationabilitatem legis Gubernii Ita-
 lici. Haec enim non cognitio Ordinum et Con-
 gregationum religiosarum importat earum dissolu-
 tionem seu ejectionem, et proinde Gubernii Italici
 decretum impedit in Italia statum religiosum, seu
 impedit statum evangelicae perfectionis prout ab
 Ecclesia determinatum est. Quod si perpendatur,
 vix est quod non recognoscatur abnormitas istius
 legis latae quoad populum catholicum, et appli-
 catae in ipso centro catholicitatis, ut injuria re-
 dundaret in universam catholicam societatem.

Hoc autem peractum est a Gubernio, quod gra-
 ditur profitendo principia hodiernae civilitatis, in-
 ter quae locum tenet principium libertatis reli-
 gionis, et aliud liberae associationis. Haec lex adeo
 abnormis ab istis principiis visa est, ut doctiores
 inter sic dictos liberales, qui honestatem naturalem
 servant, nequiverint illam probare. Audiatur inter
 alios Joseph Saredo « *Doveri del Cittadino* » cap. 38:
 « Ho detto che penso sul diritto, che hanno i cit-
 » tadini di associarsi per adorare Dio secondo che
 » le loro credenze lo esigono. È un diritto così
 » inviolabile, così prezioso, che non giungo a ca-
 » pire come si osi dire sul serio, che il legislatore
 » può giustamente proibirne l'esercizio..... Quando
 » sento proclamare, che si possono spogliare le
 » Congregazioni religiose dei loro beni, distruggere
 » conventi e disperdere i cittadini, che vi convi-
 » vono in pacifica ed onesta associazione — ecco
 » una cosa, che la mia coscienza non può assoluta-
 » mente ammettere. È una cosa strana davvero,
 » che mentre si rispetta la proprietà delle *case di*
 » *tolleranza*, e a nessuno viene in mente, che lo
 » Stato abbia il diritto di appropriarsele, si venga
 » poi a pretendere, che il rispetto accordato ai
 » beni, e alle associazioni di prostitute deve essere
 » negato alle case, in cui si prega, si insegna, e
 » si predica. » O testimonium animae naturaliter
 christianae! diceret Tertullianus. Neque subsu-
 mant Statum non sibi usurpasse istorum bona,
 sed aliis aequè religiosis usibus applicasse ex *cit.*

lege art.º 11º; nam imprimis ex hoc non negatur, quod istis religiosis institutis ea bona subtracta sint, quae eis manere debebant; deinde ipsa experientia ostendit quomodo ipsa bona mobilia et immobilia ad religiosas familias pertinentia dilabantur et pereant tum ex taxis Gubernio solvendis, tum etiam in expensis administrationis ac aliis privatorum rapinis. Nec longe aliter rem considerat Minghetti in *cit.º opere « Stato e Chiesa » pag. 111 et seqq.*, quamvis assumpto sic dicto liberalium moderatorum tenore velit excusare modernorum Guberniorum excessus, quasi rigorem hunc suppressionis meruerint Regulares, ex eo quod a primaeva institutione defecerint, et quia non modo cum civilitate nostrorum temporum conciliari nequeunt, sed etiam quia ipsis Guberniis sunt oppositi; quae omnia falsa sunt, si de vera civilitate sermo sit, et si haec oppositio non intelligatur hoc modo, quod Societates religiosae nolint ea falsa principia recognoscere, quae a modernis Statibus admittuntur, quorum applicationem patienter tolerant, sed probare non valent. At demum Auctor has associationes existere facile permittit, dummodo sint obnoxiae limitationibus a Guberniis civilibus propositis; et sic recidit in eandem conditionem stabiliendam, qua Status super istas associationes vellet suam auctoritatem exerere, quod abnorme in antecessum esse probavimus.

8.º Porro ingressus in Religionem requirit

easdem fere qualitates, ac ingressus in Clerum, relate nempe ad vitae probitatem, cum circa maturitatem aetatis alia regula sit, quemadmodum debet haberi respectus ad gravem parentum necessitatem. Quae hodie ex Decreto S. Congregationis super Statu Regularium edito auctoritate Summi Pontificis Pii IX sub die 25^a Januarii 1848 omnia constare debent ex testimonialibus litteris Ordinariorum sub gravissima poena requirendis a Superioribus regularibus, prout in eo Decreto notatur, et refertur in pluries *citata Collectanea Cardinalis Bizzarri pag. 882 et seqq.* Subsequitur aliud Decretum ejusdem S. Congregationis, Pontificis pariter auctoritate editum eodem die et anno de receptione Novitiorum ad habitum et professionem. — Plura vero jam ex veteri Ecclesiae disciplina constituta sunt, ut quis statum regularem non nisi post longam probationem et seriam reflexionem assumeret ac profiteretur, inter quas regulas computabatur Novitiatu professioni praemittendus: verum animadvertendum est illas leges, si non fuissent observatae, ante Tridentinum non importasse invaliditatem professionis, ut constat ex *cap. 16 h. t.º*, et principium, quo ista a jure regebantur, hoc erat: « unusquisque beneficio propter » se introducto renunciare potest: » et Novitiatu erat praescriptus, ut tam Religio probaret idoneitatem Novitii, quam Novitius experientia disceret, an posset Instituti rigorem ferre. Verum post Tridentinum non sic advenit, prout patet ex *sess. 25*

cap. 15° de regularibus; nonnulla enim ab Ecclesia statuta nisi observata fuerint, professio deinde secuta est nullius valoris, secundum illud juris principium: « quod contra legem fit, irritum fit. » Atque hoc jure hodie vivimus. Praeter ea, quae jam innuimus ex duobus decretis S. Congregationis super Statu Regularium, quae tamen si non fuerint observata, illicitam, non tamen invalidam reddunt professionem, ut habent Declarationes ejusdem S. Congregationis a Pontifice approbatae sub die 16 Januarii 1852, plura alia praemittenda sunt, quae respiciunt Novitiatum, et aetatem, atque libertatem. — De Novitiatu praemittendo id tenendum est. Professioni debere praemitti saltem unum annum completum et continuum Novitiatum in habitu religioso et in domibus ad hoc deputatis sub poena nullitatis professionis. Complexa haec propositio probatur per partes. Quod unus saltem annus Novitiatum debeat praemitti probat Concilium Tridentinum *sess. 25 cap. 15° de regularibus* per verba: « nemo, qui minore tempore, quam per annum » post susceptum habitum in probatione steterit, » ad professionem admittatur. Professio autem » antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus regulae, vel religionis vel » ordinis observationem, aut ad alios quoscumque » effectus. » Quae lex Tridentina in hoc sensu accipienda est, ut non sufficiat Novitiatum, qui sit brevior anno; non vero quod ex constitutionibus seu regulis probatis a S. Sede non possit longius

tempus requiri, ut in Societate Jesu, aliisque nonnullis Institutis. Cui Tridentini Concilii dispositioni exceptio unica datur de Poenitentibus seu Convertitis, quae ante annum Novitiatum expletum si professionem edant, haec valida est ex privilegio eis concessa a Julio III et Pio IV, prout declaravit S. Congregatio Concilii in *Neapolitana anni 1619 Decretorum lib. 12 pag. 30*, et loquitur Fagnanus in *cap. 16 h. t.° num.° 31*. Quod si a Pio V Constitutione « *Summi Sacerdotii* » diei 23 Augusti 1570 permissum fuit, ut Novitiae Ordinis S. Dominici in articulo mortis constitutae emittere possent professionem; hoc tamen eis non suffragabatur nisi ad lucrandas indulgentias aliasque gratias spirituales, quas Professae consequerentur, ita ut si convalescerent non essent Religioni alligatae, nisi completo anno Novitiatum professionem iterum emitterent. Quod verum esse saltem post Constitutionem Gregorii XIII « *In tanta* » diei 1 Martii 1573 reducente hoc indultum ad tramites Tridentini, quatenus ei fuisset contrarium, probavit Fagnanus *loc. cit.° num. 33*. — Et quidem hic annus adeo debet esse completus, ut in bisextili ad integritatem anni computanda sit etiam illa dies quae superest, ut declaravit S. Congregatio Concilii in *Patacina diei 5 Julii 1617* et in *Andegaven diei 21 Augusti 1623*. Et de momento in momentum completus debet esse annus, ut nulla sit professio ante complementum emissa, etiamsi deesset modicum tempus, puta duae horae, ut de-

claravit eadem S. Congregatio die 17 *Januar.* 1617 apud Giraldi *op. cit.º part. 1ª sect. 522.* At quando annus probationis fuit completus, si deinde quis exeat e Monasterio aegritudinis causa, non emissa professione, potest ad eam admitti absque novo probationis anno, nisi Religionis conditio vel ipsius Novitii mores essent immutati, ut censuit S. Congregatio Concilii in *Neapolitana mense Novembri* 1605 et 7 *Martii* 1608: et idem dicatur de Novitia ex decreto S. Congregationis in *Messanen* 1613 apud Giraldi *op. et p. cit.ª sect. 530.* — Hic annus praeterea debet esse continuus, id est non-interruptus, prout probat et exponit Fagnanus in *cap. 8º h. t.º num. 28.* — Debet vero peragi Novitiatus in habitu proprio Religionis sub sanctione nullitatis professionis. Quidquid enim sit de Societate Jesu, de cujus statuto peculiari a S. Sede probato, quod possit in ea peragi Novitiatus sine habitu religioso, agit Suarez *tom. 4º de Relig. tract. 10 lib. 2º cap. 4º num. 5º;* de aliis Religionibus id expresse edicitur a Concilio Tridentino *sess. 25 cap. 15º de regular.:* « nec qui minori » tempore, quam per annum *post susceptum habitum* in probatione steterit, ad professionem admittatur; » et declaravit S. Congregatio Episcoporum et Regularium in habitu saeculari non posse haberi Novitiatum, apud Passerini *De homin. Stat. tom. 3º quaest. 189 inspect. 1ª num. 10.* Demum juxta Decreta Clementis VIII « *Regularis disciplinae* » 12 *Martii* 1596 et « *Sanctissimus* » 20 *Ju-*

nii 1599, et Constitut. Urbani VIII « *Sacra Congregatio* » 21 *Septembr.* 1624, quae illa decreta extendit ad omnes Regulares ubique locorum existentes, non sufficit gestatio habitus regularis, nisi etiam professurus degerit per annum in Monasteriis et locis pro Novitiatu designatis sub poena nullitatis et irritationis professionis deinde secutae ad quemcumque effectum. — At non modo de Novitiatu praemittendo professioni jura loquuntur, verum etiam de aetate statuta. Canones non cavent de aetate requisita ad ingressum in Religionem, sed tantum de aetate requisita ad professionem, velut *cap. 1, 2 ac 6 h. t.º,* et merito; nam Regularem non facit ingressus in Religionem, sed professio, post quam tantum non licet a Religione recedere. Porro jure antiquo, nempe *cap. 1º h. t.º,* cautum erat: « nemo tondeatur nisi in legitima » aetate: » *legitima* autem aetas erat *aetas pubertatis,* quemadmodum explicatur in *cap. 8º h. t.º.* Cumque viri puberes censeantur anno aetatis decimo quarto completo, mulieres vero anno decimo secundo aetatis pariter completo, hinc ante illam aetatem non habebatur professio licita. Non puto autem eam habitam esse invalidam saltem *ipso jure;* si enim nec parentes reclamassent ex *cap. 2º h. t.º,* nec ipsi qui professionem ediderunt ex *cap. 8º h. t.º* ipsâ saltem acquiescentiâ censebatur professio rata habita, dicente textu *cap. 2º h. t.º* « *in clericatu permaneat.* » Ast Concilium Tridentinum *sess. 25 cap. 15 de regular.* omne sustulit

discrimen, praescribens: « in quacumque Religione » tam virorum quam mulierum professionem fieri » non debere ante decimum sextum annum expletum; et professionem antea factam esse nullam, nullamque inducere obligationem ad aliam, cujus regulae vel Religionis vel Ordinis observationem, aut ad alios quoscumque effectus. »

9.º Professionem demum debere fieri cum omni libertate sacri canones districtissime edixerunt, ita ut non modo quaecumque coactionem, verum etiam quemcumque timorem gravem injustum excluderent: quo existente, eam edixerunt omnino invalidam, prout demonstratum est *titulo XL libri primi*. Ad hanc vero libertatem omnimodam fovendam edita sunt a Concilio Tridentino *capita XVI, XVII et XVIII sess. 25 de Regular.* Porro in *cap. XVIII* anathemati S. Synodus subjecit omnes et singulas personas cujuscumque qualitatis vel conditionis fuerint tam Clericos quam laicos saeculares vel regulares atque etiam qualibet dignitate fulgentes, si quomodocumque coegerint aliquam virginem, vel viduam, vel aliam quamcumque mulierem invitam, praeter quam in casibus a jure expressis ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque Religionis vel ad emittendam professionem, quique consilium auxilium vel favorem dederint, quique scientes eam non sponte ingredi Monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoque modo eidem actui vel praesen-

tiam vel consensum vel auctoritatem interposuerint. Cujus dispositionis tenor ut recte comprehendatur, notandum est cum P. Thesauro *de Poenis ecclesiast. verb. Monialis cap. 1º* casus a jure contemplatos esse: — (α) casum expensum in *cap. 18 de convers. conjugat.* de uxore, quae emisso continentiae voto licentiam dedit viro profitendi Religionem, et deinde suspecta est de incontinentia. — (β) Casum relatum in *cap. 19 ejusdem tituli* de uxore adultera, quae emendata recipi nolit a marito. — (γ) Casum puellae impuberis, quae inducatur a parentibus ingredi Monasterium ratione devotionis, usquedum non pervenerit ad annos pubertatis, quo tempore poterit de statu capessendo libere decidere; etsi hodie puellae admitti nequeant in Monasterium etiam devotionis vel educationis causa sine beneplacito apostolico, ut demonstrat Giraldi *oper. et part. cit.ª sect. 516*. — (δ) Demum Giraldi quartum casum proponit, quem asserit et probat *op. et part. cit.ª sect. 516 nota 1ª* non fuisse a Tridentino exclusum et multo minus cogentes in eo casu incurrere excommunicationem, cum puella nubilis cogitur Monasterium ingredi custodiae causa. — Quibus quatuor casibus exclusis, locum habet semper excommunicatio Tridentini, cum coactio suum effectum secuta est. — Quaeritur a Doctoribus an eadem sanctio locum habeat, si talis coactio in viros exerceatur, et cum simus in poenalibus, negativa sententia probabilior retinetur. — Eadem a Concilio Tridentino statuuntur contra

eos, qui impediunt ingressum mulierum in Monasteria, ut vitam religiosam ineant, et habitum assumant. Ad libertatem hanc pariter tuendam a Concilio Tridentino propositum est caput XVII de exploratione voluntatis puellae facienda ab Episcopo, vel, eo impedito, a Vicario Generali, vel ab aliqua persona ab eis deputata; et haec exploratio fiet ante habitus susceptionem ac ante professionem; et ne Episcopus professionis tempus ignoret, Praefecta Monasterio tenetur eum ante mensem reddere certiore sub poena suspensionis ab officio ad Episcopi beneplacitum. Quae dispositio locum habet quoque in Monasteriis mulierum subjectis Regularibus Superioribus et exemptis, ut tenuit S. Congregatio Concilii in responsione ad recursum Archiepiscopi Manilensis confirmata ab Urbano VIII die 9 Maii 1626. In eo vero Tridentini Concilii decreto indicatur satis sufficienter quomodo debeat fieri ejusmodi voluntatis exploratio. — Demum ad tuendam libertatem professionis pro viris et mulieribus Concilium Tridentinum cap. XVI statuit: « nulla renuntiatio aut obligatio » antea facta etiam cum juramento, vel in favorem » cujuscumque causae piae valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii fiat intra duos » menses proximos ante professionem, ac non alias » intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta » professione; aliter vero facta etiamsi cum hujus » favoris expressa renuntiatione etiam jurata, sit » irrita et nullius effectus. » Cujus tamen decreti

ut genuinus sensus habeatur, sequentia sunt advertenda. — (a) Loquitur hic Concilium Tridentinum de renuntiationibus editis tempore Novitiatum, non autem de actibus, qui Novitiatum praecessere, prout exponit Card. Petra *ad primam Constitutionem Clementis IV sect. 2^a num.º 25º*; et proinde quaecumque renuntiationes praecesserint Novitiatum proprie dictum sub hac dispositione non comprehenduntur, quae nempe antecedunt solemnem vestitionem factam, ex qua inchoatur annus verae probationis. — (b) Neque sub hoc interdicto veniunt actus revocabiles, prout sunt testamenta, sed tantum verae renuntiationes per actus irrevocabiles, prout dictum est in *titulo XXVI hujus libri*; et jure quidem, cum isti actus ex sui natura revocabiles non minuunt libertatem professionis. — (c) Haec vero Concilii dispositio non includit solum renuntiationes rerum temporalium aliasque obligationes, sed etiam resignationes beneficiorum; et ideo beneficium illius, qui Religionem ingreditur, non est intra probationis annum alicui conferendum, sicut probat Fagnanus in *cap. 23 h. t.º num.º 19* allegans plures decisiones S. Congregationis Concilii. — (d) Forma indicatur, qua fieri debent istae renuntiationes, nempe cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii, et infra duos menses proximos ante professionem, et est forma substantialis, qua deficiente actus non valet. — (e) Demum omnes istae renuntiationes factae quoque in forma a Concilio statuta sunt conditionales

natura sua, et conditio est, quod sequatur professio; qua non verificata nullae sunt. — Et talis conditio additur ministerio juris, et istius favoris non admittitur renuntiatio etiam juramento firmata; cum id inductum sit propter publicam utilitatem, cui pactionibus privatorum contraveniri nequit.

10.° Novitiatum sequitur professio, quae communiter definitur « actus, quo is qui vult fieri Religiosus statum ipsum publice, solemniter ac firmiter assumit, Religione per suum Praelatum expresse vel tacite approbante. » — Quod requiratur acceptatio Religionis id patet tum ex *cap. 13 et 16 h. t.°* in quibus expresse id edicitur, tum ex eo quod professio praeter relationem, quam dicit ad Deum, cui fiunt vota, est contractus spiritualis inter profitentem et Religionem, ut dicitur *cap. 16 h. t.°*: « qui converti desiderat habitum recipit et » professionem emittit Abbate per se vel per alium » professionem recipiente monasticam. » Quia vero receptio in fratrem, ut fit in professione religiosa, est res magni momenti, hinc fieri debet a Praelato cum consensu Capituli, prout notatur *cap. 6° de his, quae fiunt a Praelat.* — Porro antiquo jure receptum erat, ut professio alia esset *expressa*, alia *tacita*. De expressa non est cur verba impendamus; de tacita vero nonnulla dicenda sunt. Haec enim variis modis inducebatur: — (α) in Religionibus siquidem, in quibus habitus Professorum erat idem ac habitus Novitiorum, inducebatur pro-

fessio tacita secundum aliquos Doctores, cum quis post expletum Novitiatum mansisset in habitu Religionis anno alio completo; secundum alios vero Doctores cum Novitiatum anno solido explevisset in habitu Religioso prout indicat Passerini *De Stat. homin. tom. 3° quaest. 189 art. 10 inspect. 6^a num.° 279*; qui secundus intellectus videtur esse conformior dictioni *cap. 22 h. t.°* — (β) In Religionibus autem, in quibus diversus erat habitus Professorum ab habitu Novitiorum, professio tacita inducebatur deferendo *per triduum* habitum Professorum ex *cap. 8 h. t.°* a sensu contrario, vel se ingerendo in actibus Professorum cum tolerantia communitatis, ut probat Fagnanus in *cap. 4 h. t.°* In utroque enim casu factum demonstrabat seriam voluntatem et perseverantiae in instituto ex parte postulantis, et acceptationis ex parte Monasterii. — (γ) In Religione porro Fratrum Praedicatorum ex constitutionibus *cap. 14 de novitiis dist. 1^a num.° 10 pag. 99* praescribitur, ut decurrente anno probationis, constitutoque Novitio in aetate annorum ad minus decem et quinque, Praelatus eidem terminum anni praefigat ad deliberandum, an profiteri velit, cum protestatione, quod statim elapso termino sibi taxato, nisi vel ab ipso vel a Religione contradictum fuerit, factus est casus tacitae professionis obligantis ad tria vota paupertatis, castitatis et obedientiae, etiamsi expressa et sollemnis professio non emittatur. — Istae de jure antiquo dispositiones circa tacitam professionem non fuerunt

a Concilio Tridentino sublatae, dummodo ea fuerint omnia antecedenter observata, quae idem Concilium voluit esse praemittenda professioni expressae. Unde Fagnanus in *cap. 8° h. t.° num.° 8 et 30*, sicut in *cap. 1° de his, quae vi etc. num.° 46* probat ex Decretis S. Congregationis Concilii etiam post Tridentinum induci tacitam professionem, si praecesserit annus probationis cum susceptione habitus in Conventu pro ea designato, quae scilicet inducitur per annum computandum a decimo sexto completo usque ad decimum septimum pariter completum aetatis illius, qui Monasterium ingressus est. Quae intelligenda sunt, quemadmodum subsumit Giraldi in *op. et part. cit.ª sect. 522, de Religione*, quae habeat habitum communem Novitiorum et Professorum; nam si Religio habeat habitum distinctum pro Professis et diversum ab eo, quo utuntur Novitii; tunc omnibus aliis servatis, quae supra expressa sunt, est locus professioni tacitae post Tridentinum deferendo per triduum habitum Professorum. — Sed dicet aliquis: quomodo poterit habere locum professio tacita, si Concilium Tridentinum in *cap. XVI sess. 25 de regul.* dicit: « finito tempore Novitiatus Superiores » Novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum » admittant, aut e Monasterio eos ejiciant. » Verum haec est regula generalis, quae suas patitur exceptiones ut innuit Gallemart *ad hoc caput v. finito.* — At deinde respondetur: quid si isti non admittantur ad professionem explicite edendam, nec ejiciantur

a Monasterio? Tunc habet locum professio tacita, si ea verificentur, quae sunt exposita: vide Reiffenstuel, *h. t.° num.° 178 et seqq.* Quid vero hodie vigeat de tacita professione, inferius indicabimus.

11.° Professio pariter alia est *solemnis*, alia *simplex*, prout vota habent ab Ecclesia hanc solemnitatem vel non habent, de qua fuse in antecedentibus locuti sumus. Et quidem expleto anno Novitiatus usque ad nostra tempora poterant ab omnibus edi vota solemnia, facta exceptione Societatis Jesu secundum institutum pium a S. Sede Apostolica approbatum. Verum hodie quoad religiosas virorum familias, in quibus solemnia vota emittuntur (cum nihil de Monialibus noviter statutum sit, sed sub veteri jure relictæ sint), datae sunt sub *die 19 Martii 1857* Encyclicae Litterae a S. Congregatione super Statu Regularium, in quibus significabatur supremis Superioribus Ordinum, ut Religiosis suo regimini subjectis denuntiarent Summum Pontificem de plenitudine Apostolicae Auctoritatis statuuisse et decrevisse prout sequitur: « Peracta probatione et » Novitiatu ad praescriptum S. Concilii Tridentini, » Constitutionum Apostolicarum, et statutorum » Ordinis a S. Sede approbatorum, Novitii vota » simplicia emittant, postquam expleverint aetatem » annorum sexdecim ab eodem Tridentino Concilio » statutam, vel aliam majorem, quae forsitan ex statutis proprii Ordinis a S. Sede approbatis requiratur; et quoad Laicos et Conversos, post-

» quam ad eam pervenerint aetatem, quae in Con-
 » stitutione Clementis VIII incipiente « *In su-*
 » *premo* » praefinita est. Professi post triennium
 » a die, quo vota simplicia emisserint, computan-
 » dum, si digni reperiantur, ad professionem vo-
 » torum solemnium admittantur, nisi fortasse pro
 » aliquibus locis, uti nonnullis Institutis indultum
 » est, professio votorum simplicium ad longius
 » tempus jam concessa fuerit. Poterit vero Supe-
 » rior Generalis, ac etiam Superior Provincialis
 » ex justis et rationabilibus causis professionem
 » votorum solemnium differre, non tamen ultra
 » aetatem annorum viginti quinque expletorum. Si
 » vero Provinciales in Ordine seu Instituto non
 » habeantur, eadem differendi professionem vo-
 » torum solemnium facultas attribuitur etiam Su-
 » periori domus Novitiatus, de consensu tamen
 » Magistri Novitiorum, et duorum Religiosorum,
 » qui in Instituto aliquo gradu insigniti sunt. De-
 » creta S. Congregationis super statu Regularium
 » incipien. « *Romani Pontifices* » et « *Regulari*
 » *disciplinae* » anno 1848 promulgata omnino ser-
 » ventur in receptione ad habitum, Novitiatum, et
 » professionem votorum simplicium. Quae de votis
 » simplicibus emittendis superius sancita sunt, ser-
 » vanda erunt relative ad eos, qui post datam
 » praesentium ad habitum admittentur. » — Memo-
 » ratae Litterae licet haec omnia praescribant, non
 » tamen considerant professionem solemnem emis-
 » sam ante edita vota simplicia ut invalidam. Unde

necessarium fuit, ut superveniret Breve Summi
 Pontificis « *Ad universalis Ecclesiae* » datum *sub die*
7 Februarii 1862 super nullitate professionis vo-
 torum solemnium non praemissa professione vo-
 torum simplicium. Et cohaerenter ad hoc cum
 quidam Novitius post dictam Encyclicam, sed ante
 memoratum Breve Apostolicum, vota solemnia
 nuncupasset non praemissa professione votorum
 simplicium; quaestio de validitate votorum sole-
 mnium exorta est, quamvis actum fuisse illicitum
 nemo dubitaret. Ideoque in Congregatione *diei*
16 Augusti 1866 propositum fuit dubium « *Utrum*
dictus Religiosus professionem solemnem validam
ediderit? » Et Cardinales responderunt: « *Affirma-*
tive. » Proinde ante Breve Apostolicum: « *Ad uni-*
versalis Ecclesiae » hujusmodi professiones erant
 dumtaxat illicitae; sed post hoc habendae sunt
 etiam irritae et prorsus invalidae. — Ex declaratione
 demum a Summo Pontifice data *sub die 12 Ju-*
nii 1858 per organum laudatae S. Congregationis
 decretum est sub *num.º XI*: « ad valide emittenda
 » vota solemnia post vota simplicia requiri profes-
 » sionem expressam, et ideo professionem tacitam
 » omnino abrogatam esse. » Quae declaratio, prout
 caeterae in folio contextae, etsi data sit ad preces
 Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum, quia
 tamen respiciunt naturam et qualitatem votorum
 simplicium in Encyclicis Litteris *diei 19 Martii 1857*
 praescriptorum, hinc omnes Ordines respiciunt.
 12.º Professionis solemnns valide emissae ef-

fectus plures sunt, quorum nonnullos hic indicabimus, alios autem in diversis titulis, ut se feret occasio. — *Primo* enim Profitentem efficit Religiosum, eumque obligat ad observantiam votorum emissorum perpetuam ex *cap. 6° in fine de statu monachor.* — *Secundo* ligat Professum Religioni, et hanc Professo, ita ut hoc vinculum nec sola Professi voluntate, nec sola Religionis, nec mutuo utriusque consensu dissolvi possit; sed est indissolubilis ex *can. 4° caus. 33 quaest. 5.ª* Quod autem aliquo in casu possit ex parte Religionis hic contractus resolvi, in subsequentibus causa indicabitur et modus. Tantum modo hic advertitur posse Religionem aliquam indicare causam seu defectum requisiti essentialis, vel substantialis, qui invalidet professionem nisi adsit, et ejus absentia non reveletur; prout exprimit Benedictus XIV in *Constit. « Si datam »* inferius citanda § *Quum etenim.* Sed hunc defectum tacitum in constitutionibus a S. Sede probatis debet adverti inducere nullitatem professionis, ut notat idem Benedictus XIV *de Syn. lib. 13 cap. XI num.º 3.º* — Liberat *tertio* Professos a patria potestate, quia Professus transit in plenam potestatem Superioris regularis, eique plene subicitur. Hoc tamen ita intelligendum est in iis, quae Professum gravant, non autem in eis, quae sunt illi favorabilia, quia hoc est beneficium, et juxta *Regulam 16 jur. in VI* « quod in gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum. » Hinc jura suitatis et

successionis retinet Professus, et e contra si post professionem filio bona obveniunt, ad peculium quasi-castrense referuntur; etsi haec omnia ipse non pro se, sed pro Monasterio lucrari valeat. — *Quarto* aufert irregularitatem proveniente ex natalibus relate ad suscipiendos sacros Ordines, non item Praelaturas, ut ex *cap. 1° de filiis presbyt. lib. 1°*, non item alias irregularitates ortas ex aliis defectibus aut delictis, cum de istis citata regula non loquatur. — Sed quaenam est vis, quique effectus votorum simplicium, de quibus locuti sumus? Plura dubia proposita sunt apud S. Congregationem de vi et effectibus istorum votorum simplicium post lata supradicta decreta, quae datae sunt authenticae declarationes, quae referuntur in *Collectanea Cardinalis Bizzarri pag. 906 et seqq.* — Eas sic comprehendimus: — (a) vota haec simplicia ex parte voventis sunt perpetua, utpote quae tendunt ad emittenda deinde vota solemnia, in quibus perfectionem et complementum accipiunt. Unde isti sunt vere Religiosi, nec differunt haec vota a votis Scholasticorum Societatis Jesu, nisi in aliquibus privilegiis ulterioribus eis antiquitus concessis praesertim a Gregorio XIII, et quia illa habent indeterminatam durationem, haec vero intra certum tempus conclusam. — (b) Eorundem votorum simplicium dispensatio reservata est Summo Pontifici, cui Professi ex gravibus causis preces porrigere poterunt. — (c) Circa positionem autem istorum Professorum in votis simplicibus dari po-

test triplex casus, nempe vel *dimissionis*, vel *admissionis ad professionem solemnem*, vel *demum dilationis ejusdem professionis*. — Quod pertinet ad admissionem, dicendum est: perseverantiam triennii in votis simplicibus esse a citatis canonibus necessario requisitam, neque eam posse declinari nisi per facultatem a S. Sede obtinendam, qua abbrevientur termini professionis solemnis. — Pro admissione vero ad vota solemnia post expletum triennium votorum simplicium, audiri quidem debere Capitulum Conventuale ad instructionem animi Superiorum; minime vero a Superiori Generali, vel ab ejus Subdelegato standum esse resolutioni ejusdem Capituli. Ergo actus in quo requiritur consensus Capituli, est receptio ad vota simplicia, non vero ad vota solemnia; potest enim procedere Superior post votum Capituli requisitum, quin teneatur illud sequi, et illo quoque contradicente admittere ad edenda vota solemnia. — Quod respicit dilationem; haec juxta Encyclicas Litteras jam memoratas est in manu Superioris Generalis vel Provincialis, vel in Ordine Provinciales non habente in manu Superioris Domus Novitiatu de consensu Magistri Novitiorum et duorum Religiosorum, qui in Instituto aliquo gradu insigniti sint. Qui ex justis et rationabilibus causis poterunt hanc differre professionem, non tamen ultra aetatem profitentis annorum viginti quinque completorum; ne perseverantibus quidem aut supervenientibus aliis gravibus causis. Demum quod respicit dimis-

sionem, facultas dimittendi Professos votorum simplicium spectat ad Magistrum seu Superiorem Generalem Ordinis cum suo Consilio generali. Qui Superior Generalis cum dicto suo Consilio poterit in casibus extraordinariis et praesertim pro regionibus et locis longinquis ad dimissionem decernendam subdelegare probos et prudentes Religiosos, qui saltem tres esse debent. Et licet ad decernendam dimissionem neque processus nec judicii forma requiratur, sed ad eam procedi possit sola facti veritate inspecta, tamen Superiores procedere debent summa charitate, prudentia, et ex justis ac rationabilibus causis, quacumque humana affectione remota. — Nemo autem ex causa infirmitatis post professionem votorum simplicium superventae dimitti poterit. Et vota in actu dimissionis sic soluta manent, ita ut data dimissione Professi ab omni dictorum votorum vinculo et obligatione eo ipso liberi fiant. — (d) Professi votorum simplicium participes sunt omnium gratiarum et privilegiorum, quibus Professi votorum solemnum in eo Ordine legitime utuntur; Superiores Regulares autem ad quos spectat, concedere poterunt hujusmodi Professo litteras dimissorias dumtaxat ad primam tonsuram et ad Ordines minores, servatis tamen de jure servandis et aliis a Sede Apostolica praescriptis circa Regularium Ordinationes; a defectu natalium vero quoad tonsuram et Ordines minores circa simpliciter Professos Superiores Regulares non dispensabunt, nisi ex indulto Aposto-

lico ea gaudeant facultate, quae in usu legitime sit. — (e) Anni professionis, qui in Istituto requiruntur, ut quis voce activa, et passiva gaudeat, et ad officia admitti possit, a die emissionis votorum simplicium computabuntur; et Professi votorum simplicium suffragium habebunt in Actis capitularibus sui Conventus, quatenus et prout habent solemniter Professi. — (f) Professi votorum simplicium dominium *radicale*, ut aiunt, suorum bonorum possunt retinere, sed eis omnino interdicta est eorum administratio et reddituum erogatio atque usus; unde ante hanc professionem debent pro tempore, quo in istis votis permanserint, cedere eorundem administrationem, usumfructum et usum quibus placuerit, etiam Ordini, si ex privilegio apostolico potest possidere. — Renuntiatio vero, de qua loquitur Concilium Tridentinum *cap. 16^o sess. 25 de Regularibus* pro Professo votorum simplicium locum habet infra duos menses proximos ante professionem votorum solemnium.

13.^o Quos recensuimus effectus professio solemnitas non producit, nisi valida sit. Verum aliquando professio invalide emissa per ratificationem conualescere potest, seu per eam fieri validam, quae prius invalida erat. A jure ecclesiastico id admitti textus expressus est in *cap. XI h. t.^o* Neque dicatur dispositionem illius capituli fuisse a Concilio Tridentino sublatam; namque id verum est quatenus in eo capite ratificatio dicitur facta post decimum quartum aetatis annum; sed quid si facta

fuisset post completum annum aetatis decimum sextum? Nulla est difficultas quod admitteretur, cum ipsum Concilium Tridentinum in *cap. 19^o sess. 25 de regular.* non obscure de hac ratihabitione intelligi possit, et admisit S. Congregatio Episcoporum et Regularium prout tratatitii juris in *Incerti loci super renovatione Professionum et Sanatione in radice diei 10 Decembris 1841 in cit.^a Collectanea pag. 527.* — Quaeritur inter Doctores: an qui professionem invalidam edidit teneatur illam ratam habere etiamsi impedimentum ad invaliditatem in foro externo probari nequeat, et provenerit quoque ex culpa invalide profitentis? Et respondent apud Schmalzgrueber *h. t.^o num.^o 190* non teneri propter arduitatem et sublimitatem status religiosi, quamvis propter praesumptionem fori externi possit cogi ad illa observanda, ad quae verus Professus obligatur. — Aliquando etiam recursus fit ad Sedem Apostolicam, et tunc vel in via ordinaria dispensato impedimento, quod obstabat, juris ecclesiastici, praescribitur saltem privata consensus renovatio, vel concurrentibus specialibus circumstantiis sanatio in radice fit illius professionis, quando consensus voventis moraliter perseverat, et impedimentum illud juris ecclesiastici in radice tollitur; prout exempla sunt in jam dicta decisione S. Congregationis EE. et RR., et in alia ejusdem *Incerti loci Votorum diei 1 Septembr. 1854* relata in *Collectanea pag. 688.* — At non raro accidit, quod reclamatio fiat apud Tri-

*ad certandum
de radice
de renovatione*
ad juri eccles. non obtemperare

bunalia ecclesiastica contra professionem tamquam invalide factam, de qua loquitur Concilium Tridentinum *sess. 25 cap. 19 de regular.* Et hanc instantiam proponere valent non modo Professi, sed etiam Religio in sui favorem. — Quinam vero ordo servandus sit in istis causis pertractandis clare determinat Benedictus XIV Constitut. « *Si datam* » *diei 4 Martii 1748*: et nos exponemus in *libro de Judiciis*.

14.º Circa transitum de una ad aliam Religionem sequentia sunt advertenda. Antiquis canonibus est statutum ex *cap. 5º et 7º h. t.º* hanc translationem fieri non posse, nisi habeantur haec duo, nempe *justa causa*, et *licentia Superioris*. — De defectu justae causae loquitur *cap. 5 h. t.º*: — de defectu autem licentiae Superioris agit *cap. 7 h. t.º*: verum in *cap. 18 h. t.º* statutum est, quod Religiosus ex zelo arctioris vitae transire possit ad Religionem strictiorem, petita prius licentia a suo Praelato, licet non obtenta, quamvis Religio, a qua recedit, gaudeat privilegio, ut de illa ad aliam, licet arctiorem, transire non possit. — Recentioribus autem canonibus sequentia statuta fuerunt. Imprimis enim Concilium Tridentinum *sess. 25 cap. 19 de regular.* ordinat: « nemo etiam Regularis cujuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem » Religionem. » Et Benedictus XIII Constit. « *Licet* » *diei 13 Februar. 1726* hujusmodi transitum interdixit, etiamsi de apostata transferendo ageretur, ad quemlibet militarem seu hospitalarem

Ordinem, vel hospitalarem simul et militarem, quamvis in eo claustralis observantia vigeret, nisi forte fuisset Ordo S. Joannis de Deo, ut narrat Benedictus XIV *de Synod. dioecesan. lib. 13 cap. XI n.º 14*. Et jam a Concilio Tridentino *sess. 14 cap. XI* statutum fuerat non posse Regularem transferri de uno ad alium Ordinem, et ad habitum et professionem admitti sub praetextu privilegiorum, nisi in Ordine, ad quem transfertur, perpetuo maneat intra claustra sub sui Superioris obedientia. Quod ampliatum est a Pio V Constitut. « *Quaecumque* » *diei 14 Octobris 1569* cassante quascumque Apostolicas concessionem post Concilium super iis obtentas, et nullas decernente factas admissiones, receptiones etc. infligente poenas contra admittentes et recipientes, ac tributa facultate Ordinariis contra recipientes et receptos, ut isti ad pristinum Institutum redeant. — At hodie de stylo Curiae nemo Religiosus transire potest de una in aliam Religionem etiam strictiorem sine licentia S. Sedis Apostolicae, ut habet Mattheucci *Officialis Curiae cap. 41 num.º 25* et Monacellus *tom. 1º tit. 16 form. 3ª num.º 18*. — Quod circa Moniales est etiam de jure scripto. Cum enim ex Constitut. Pii V « *Decori* » *diei 1 Februarii 1569* Moniales prohibeantur egredi a clausura, nisi ex causa leprae, epidemiae et magni incendii, dicendum est eis ademptam fuisse hanc facultatem absque S. Sedis licentia, prout declaravit etiam S. Congregatio Concilii *Posit. 147ª ad cap. 19 sess. 25*

de Regular. — Circa modum porro exequendae hujus translationis jam Urbanus VIII in Constitut. « *Sacra Congregatio* » diei 21 Septembris 1624 praecepit quibuscumque Regularibus Superioribus, ne Religioso sibi subdito facultatem concederent transire ad aliam Religionem licet arctiorem, nisi prius eis legitime constaret Religionem, ad quam erat transferendus, paratam esse eum recipere, et tunc recta via transferretur sub poenis, et decernens irritum et inane quidquid secus fuisset attentatum. Sed circa hoc negotium hodie attendenda sunt quae Benedictus XIV decrevit in Constitutione « *Pastor Bonus* » diei 13 Aprilis 1744 de facultatibus Cardinalis Majoris Poenitentiarum, cujus referimus § XXXIV, XXXV et XXXVI. —

« § XXXIV. Quoad transitum vero de una ad aliam Religionem, non solum valeat illum concedere a laxiori ad arctiorem, juxta *cap. Licet de Regul.*, verum etiam ad aequalem, et ab arctiori ad laxiorem, ob justas tamen, et graves respective causas, ab eodem Majori Poenitentiarum probandas; audito prius Superiore Ordinis, a quo, et cum consensu Superioris Ordinis, ad quem faciendus est transitus. Pro majori autem transitus firmitate, in his omnibus casibus possit idem Major Poenitentiarum statutis, et Privilegiis Apostolicis, quomodolibet obstantibus, opportune derogare. — § XXXV. Verum abstinere ab hujusmodi transitu concedendo ad alias Religiones, seu Ordines, praeterquam ad illas, seu illos, in

» quibus claustralis, et regularis observantia vigere dignoscatur; quod si de tali claustrali, et regulari observantia ullatenus dubitetur, exquirenda erit authentica Ordinarii attestatio. Abstinere pariter a transitu praedicto concedendo ad Ordines hospitalares, et militares, quamvis in istis claustralis, et regularis observantia vigeret, nisi forte ad Ordinem S. Joannis de Deo. Neque item eundem transitum concedat ad Ordinem S. Benedicti antiquioris observantiae, aut ad alias consimiles Congregationes, cujuscumque Ordinis fuerint. — § XXXVI. Concedere itidem possit transitum ab uno Monasterio ad aliud, Monialibus tantum ultra montes existentibus, legitima concurrente causa, in Signatura discutienda, et approbanda; committendo tamen facultatem hujusmodi transitus admittendi, et exequendi arbitrio Ordinarii cum clausulis opportunis pro casuum varietate. » — At notandum est hodie etiam observari, nisi aliter in Rescripto translationis expressum fuerit, aut dispensatio data sit, id quod habet *Clementin. 1^a De transeuntibus a Religione aliqua Mendicantium ad aliam non mendicantem*, nempe: — (a) ejusmodi transeuntes reddi inhabiles ad Prioratus, administrationes et officia quaecumque etiam tamquam Vicarios, et locum aliorum tenentes: — (b) exercere non posse curam animarum per se vel per alios, aut promoveri ad beneficia saecularia quaecumque: — (c) vocem nullam et locum in Capitulo habere,

quando Capitulum est congregatum ad electiones, vel alios tractatus habendos. — Secus autem est, si Capitulum sit congregatum dumtaxat ad correctionem et disciplinam regularem.

15.º Agendum demum est de ejectis Religiosis, de fugitivis, et Apostatis. — Ejectus ille est, qui ex Religione, quam professione voverat, culpa sua exire compellitur. — A nonnullis dubitatum est: an etiam solemniter Professi possent a Religione ejici? Ratio haec erat, quam fuse exponit Benedictus XIV *De Synod. Dioec. lib. 13 cap. XI num.º 15 et seqq.*: sicut enim Professus nequit Religionem umquam deserere, sed in ea stabiliter et inconditionate manere; ita ex vi initi contractus et correlative Religio eum debet inconditionate servare, nec umquam eum dimittere. Antiquus tamen usus approbatus in *cap. fin. h. t.º* fert aliquando posse esse locum ejectioni ex culpa Professi. Et cum de hac re fierent dubia, quaestio fuit formiter examinata tempore Urbani VIII, cujus jussu et auctoritate a S. Congregatione Concilii editum est decretum sub *die 21 Septembris 1624* quod incipit « *Sacra Congregatio.* » In eo statutum est: — (α) nullum legitime Professum in posterum ejici posse, nisi ex causa verae incorregibilitatis; quia tunc ad hanc necessariam ejectionem supervenit causa communis periculi spiritualis, ad quod declinandum Religio hanc viam init, et, ut loquitur supradictum decretum « ne contagione pestifera » plurimos perdat, tamquam pecus morbida ac

» membrum putre ejici tandem possit; » — (β) definitur deinde quinam sit vere incorregibilis, nempe ut talis « minime conseatur, nisi non solum » concurrant ea omnia, quae ad hoc ex juris communis dispositione requiruntur, sublatis hac in » parte statutis et Constitutionibus cujusque Religionis et Ordinis etiam a Sede Apostolica » probatis et confirmatis; verum etiam unius anni » spatio in jejunio et poenitentia probetur in » ceribus; et nihilominus non resipuerit, sed in » durato animo in sua pervicacia perseveraverit. » Annus autem hic integer in poenitentia et jejunio praescriptus, a subsequenti decreto Congregationis peculiariter ab Innocentio XII deputatae edito sub *die 24 Julii 1694* ejusdem Pontificis jussu fuit coarctatus et restrictus *ad sex tantum menses continuos*. Giraldi autem *op. cit.º part. 1ª sect. 643* exponit ea, quae ex jure communi concurrere debent praeter praescriptam carcerationem, ut quis censeatur vere incorregibilis; nempe ut Religiosus aliquod grave delictum commiserit talibus circumstantiis qualificatum; ut in Religionis dedecus, populi scandalum et Religiosorum contagium cedat. Praeterea ut de delicto legitime constiterit vel per ipsius confessionem vel per testium probationes: ut pluries Religiosus deliquerit et, trina monitione praemissa, punitus fuerit pro singulis excessibus, ideoque praeter dictam trinam monitionem, ad probandam incorregibilitatem semestrem carceris praecedere debet trina delictorum ejusdem vel diversi

generis juridica punitio. — Oportet demum, ut delicta continentur moraliter, ut reum in malo obfirmatum ostendant; quae continuatio colligitur ex brevitate temporis, intra quod commissa sunt. Communiter vero retinetur eum, qui post singula delicta commissa laudabiliter saltem per tres annos vivit, pravam voluntatem per actus poenitentiae et emendationis tempus discontinuare et interrompere; — (γ) determinatur modus procedendi ad ejectionem, et in hoc processu ac iudicio observanda. — Si quis autem appellaverit a sententia ejectionis etiam intra terminum a lege praefinitum, non potest extra carcerem sua jura experiri, sed debet se in carcere formali suae Religionis constituere, ut refert Benedictus XIV *De Syn. lib. et cap. cit.º num. 31* fuisse declaratum a S. Congregatione Concilii in *Lyciens. ejectionis diei 15 Novembr. 1698*. Ex eodem Decreto Urbani VIII ejectus suspensus est ab exercitio Ordinum, donec ad Religionem redierit, sublatâ locorum Ordinariis facultate suspensionem dispensandi vel moderandi, quo derogatum est dispositioni *cap. 4 de judiciis*. Quae suspensio servata est in Constitutione « *Apostolicae Sedis* » inter reservatas Summo Pontifici sub *num.º V*. Et redduntur inhabiles ad ecclesiastica munia obeunda et beneficia assequenda. Item legitime expulsus non habet actionem petendi a Religione alimentata, ut probat Benedictus XIV *De Syn. lib. 13 cap. XI num.º 25.º* Idque etiam verificatur in ejectionis a Societate Jesu post emissa

vota simplicia etiamsi ad sacros Ordines fuerint promoti ex Constit. Benedicti XIII, quae incipit « *Injuncti* » *diei 14 Junii 1728*; quamvis possint isti ecclesiastica munera obire et beneficia assequi; cum ex dimissione eorum vota cessent, nec teneantur redire ad Religionem. — Legitime ejectus pariter tenetur sub gravi se emendare, et curare ut denuo a Religione recipiatur, quemadmodum et servare tria substantialia vota. At votum paupertatis suspenditur quoad executionem juxta capacitatem proprii status; sicut votum obedientiae ita inflectitur, ut in locum Superioris Regularis subintret Ordinarius, cujus jurisdictioni, post notificationem expulsionis ipsi faciendam a dicto Superiore, subesse debet. Sicut tenetur ejectus sub gravi servare alia vota vel simplicia vel solemnia suae Religionis adnexa, quae compatibilia sunt cum ejus statu. Vicissim Superiores Regulares ex inductis juribus tenentur sub gravi ejectos annuatim requirere et emendatos iterum recipere, prout inculcatur etiam ab Innocentio XII decreto *diei 24 Julii 1694*, quod incipit « *Instantibus*. » Quae Superiorum obligatio urget eos ex jure divino et naturali, cum ejecti non desinant esse ipsorum subditi, et omnes, quibus cura animarum commissa est, teneantur eorum custodiam insistere. Attamen hodie Superiores Regulares propter exemptionem nequeunt cogi ab Ordinariis locorum ad requirendos et recipiendos ejectos sub censura. — Quae usque adhuc proposita sunt valent pro Pro-

fessis voto solemnī, scilicet in Religionibus proprietalibus. In Congregationibus vero Religiosis res procedunt diverso modo. Nam si in istis Congregationibus vota simplicia eduntur, tunc ad ejectionem non exigitur *incurribilitas*, sed *sufficit gravis causa*. Non requiritur incurribilitas, quia hic contractus exclusā solemnitate voti non est ita absolutus, ut dicatur esse irresolubilis, prout est quando votum est solemnē. At vero semper est *necessaria gravis et justa causa*, quia existentibus votis quamvis simplicibus a Congregatione acceptatis, *habetur contractus ultro citroque obligatorius*, vi cuius Religiosus tenetur in Congregatione perseverare, et vicissim haec absque justa causa illum non expellere. Ista quoque justa causa requiritur in dimissione; in isto siquidem contractu vi voti etsi simplicis *habetur quoque relatio ad Deum*, cui vota facta sunt in tali Congregatione, et proinde hunc statum religiosum non resolvit simplex voluntas voventis et Congregationis, nisi habeatur praeterea grave motivum dissociationis. Ejecti autem et dimissi si justa causa fuerit, non sunt requirendi, nec recipiendi ex praedicta ratione. Imo, ut habet Bouix *op. cit.º part. 6ª sect. 4ª cap. 1º* cum caveri soleat in Constitutionibus earum Congregationum votorum simplicium, ut Religiosus ejectus vel *dimissus censeatur a votis ipso facto solutus*, hic *fit omnino liber*, quia vota fecit juxta Institutum, et proinde cum hac conditione « *donec dimissus*

non fuero. » At si Congregatio non habeat vota, sed a venientibus alumnis requirat simplicem promissionem perseverantiae, tunc dimissio fieri valet *etiam absque causa*, cum utraque pars consentiat; quamvis ejectio absque justa causa non fiat propter acceptatam a Congregatione promissionem.

16.º *Fugitivi* ii sunt, qui sine licentia Superiorum ad tempus e Monasterio recedunt cum animo iterum revertendi. Inter fugitivos illi quoque adnumerantur, qui absque licentia Superiorum localium ad Superiores majores confugiunt, nisi ab iisdem missi aut vocati fuerint ex Concilio Tridentino *sess. 25 cap. 4º de regular.* Imo ex decreto Urbani VIII fugitivi habentur, qui absque licentia Superiorum localium, nisi ut prius praevia missione vel vocatione, ad Sedem Apostolicam veniunt; quod tamen Sixtus V Constitut. « *Ad Romanum* » ita temperavit, ut inter fugitivos non computarentur qui injuste vexati saltem in scriptis a Superioribus licentiam petierunt, ut recurrerent ad Sedem Apostolicam, Romamque venerunt ea non impetrata licentia. — *Apostata* vero ille est, qui a Monasterio vel Religione discedit animo totaliter deserendi Ordinem et ad illum non revertendi. — Fugitivi et apostatae tenentur ad observandas omnes constitutiones Ordinis et ad vota servanda, ne ex fraude emolumentum consequantur; et privantur cunctis Regularium privilegiis subjecti Ordinariis locorum ex Concilio Tridentino *sess. 25 cap. 9º de Regularibus*, sicut Su-

periores tenentur ad eos requirendos; deinde praeter peccatum lethale ex constitutionibus particularibus Religionum incurrunt, habitu vel dimisso vel retento, prout diverse cavetur, excommunicationem ipso facto. Caeteras poenas exponemus *libro quinto in titulo De Apostatis.*

TITULUS XXXII.

De Conversione Conjugatorum.

1.° Conversio conjugatorum dicitur locum habere, cum adhuc constante matrimonio una pars vult ingredi Religionem approbatam, eamque profiteri, vel uxoratus eodem constante matrimonio in Ecclesia Latina vult ad superiores et sacros Ordines promoveri. — Quaeritur porro an id fieri possit, et sub quibus conditionibus a jure ecclesiastico permittatur? Et sit primo de conversione ad Religionem, dein de ascensu ad Ordines sacros.

2.° Spectari autem potest duplex casus, de matrimonio nempe consumato, vel non-consumato, et hunc alterum casum primo expendimus. Alexander III in *cap. 2° h. t.°* statuit « post consensum legitimum de praesenti licitum esse alteri, » altero etiam repugnante, eligere Monasterium

» (sicut Sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt),
 » dummodo carnalis commixtio non intercesserit
 » inter eos. » Post matrimonium siquidem con-
 tractum non statim una pars potest alteram par-
 tem adigere ad illud consummandum, si haec
 opponat se cogitare de ingressu in Religionem,
 cum, ut ex *cap. 7° h. t.°* arguunt Doctores, ma-
 trimonio primitus consummando possit opponi ab
 altera parte se cogitare de ingressu in Religionem:
 quin imo ex *eod. cap. 7° h. t.°* valet conjux de-
 clinare quoque individuum vitae consuetudinem
 data cautione saltem juratoria, quod vel ingredie-
 tur Religionem, vel redibit. At hujus deliberationis
 est determinatum tempus, et est bimestre, prout
 in dicto canone notatur; et hoc bimestre compu-
 tatur a die praefixionis a judice factae. Neque
 ex hoc fit alteri parti injuria vel praejudicium,
 nam, ut subjungitur in *cit. cap. 2° h. t.°* « al-
 » teri remanenti, si commonitus continentiam ser-
 » vare noluerit, licitum est ad secunda vota tran-
 » sire: quia cum non fuissent una caro simul
 » effecti, satis potest unus ad Deum transire, et
 » alter in saeculo remanere. » Dirimitur proinde
 matrimonium hoc ratum. Id tamen evenit in pro-
 fessione solemnī, prout tenendum de fide esse
 constat ex *can. 6° de Sacramento matrimonii*
sess. 24 Concilii Tridentini « si quis dixerit ma-
 » trimonium ratum non-consummatum per solem-
 » nem Religionis professionem alterius conjugum
 » non dirimi; anathema sit. » Unde solummodo

post solemnem professionem pars in saeculo ma-
 nens potest ad saecularia vota transire. — Post En-
 cyclicas Litteras S. Congregationis super Statu
 Regularium *diei 19 Martii 1857* quibus prae-
 scriptum fuit, ut ante vota solemnīa in quavis
 Religione virorum praemitterentur vota simplicia,
 et laudabilis in iis conversatio saltem per trien-
 nium, quaesitum est ab Archiepiscopo Mexicano:
 an mulier manens in saeculo nedum bimestre et
 annum probationis ante simplicium votorum pro-
 fessionem expectare teneatur, sed et subsequens
 triennium, quo demum expleto juxta recentem
 disciplinam locus est professioni solemnī? Et ex
Audientia Pontificis die 25 Januarii 1861 re-
 sponsum est, nonnisi post solemnem votorum pro-
 fessionem matrimonium ratum et non consumma-
 tum dissolvi. *Collectanea cit. pag. 910*. Neque
 hoc noviter fuit inductum, cum simplicia quoque
 Scholasticorum vota in Societate Jesu non diri-
 mant antecedens matrimonium ratum non con-
 summatum; quamvis subsequens dirimant, ut di-
 ctum est.

3.° Putaverunt nonnulli Doctores professionem
 solemnem dirimere antecedens matrimonium ra-
 tum non consummatum ex jure divino, quatenus
 per hanc quis mundo mortuus fieret se in holo-
 caustum Deo offerens. Haec autem opinio susti-
 neri rationabiliter nequit. Imprimis enim exposi-
 tum argumentum nimis probaret; si enim professio
 solemnī aequiparatur morti naturali, sicut per hanc

dissolvitur non modo ratum, sed et consummatum conjugium, ita et eveniret per professionem solemnem, quod non est verum, ut inferius videbimus. Deinde advertendum est hunc effectum non haberi ex vi voti, quod emittitur; nam professio votorum simplicium id non operatur, sed tantum solemni: at solemnitas est ex jure ecclesiastico, prout in antecessum probatum est; unde matrimonium ratum in professione solemniter dirimitur ex jure ecclesiastico. Et hic casus est in jure notatus, in quo Pontifex matrimonium ratum dirimit, cum alii deinde casus in Tractatu de Matrimonio *libro quarto* sint recensendi. — Potius quaeritur: an si mulier allegans propositum ingrediendi Religionem fuerit a viro per vim deflorata, valeat ingredi et profiteri Religionem, invito viro, et an matrimonium irritetur utpote simpliciter ratum, quod per illatam vim fuit consummatum, vel potius subsistat ut matrimonium consummatum? Et Fagnanus in *cap. 7 h. t.º num.º 27 et seqq.* pluribus probat mulierem allegantem se velle ad Religionem converti, si nihilominus infra bimestre praefixum fuit a viro per violentiam deflorata, posse adhuc eo invito Religionem ingredi et profiteri, ne innocenti noceat fraus et culpa alterius, et criminoso eidem crimen prosit. Et per crimen fuit illa consummatio matrimonii extorta, quia jure mulier poterat resistere et denegare allegans tempore habili exceptionem a jure recognitam, imo in ipso contractu matrimoniali ministerio juris im-

plicitam. Atque istis sub limitationibus considerata quaestio eodem modo ab Auctoribus resolvitur. Difficultas potius et non eadem Doctorum opinio in hoc est, an illud matrimonium remanserit simpliciter ratum, in quo non nisi per vim copula habuit locum, et sic per professionem partis dirimitur; vel e contra dici debeat vere consummatum, ut per hanc solemnem professionem non dissolvatur, sicut videre est apud Fagnanum *loc.º cit.º* Ast meo judicio dicendum est hoc esse matrimonium vere consummatum, quia matrimonio rato accessit copula, quae reddit illud consummatum. Neque dicatur hanc copulam non fuisse utrinque voluntariam, nam in hoc spectatur simplex factum; et mulier vi oppressa contrahit affinitatem cum propinquis ejus, qui illam carnaliter cognovit; et si mulier quamcumque aliam objecisset causam, quam sit ingressus in Religionem, si fuisset a viro per vim cognita, non posset, ipsis factentibus patronis sententiae contrariae, denegari matrimonium fuisse consummatum. Ex eo ergo quod habuit locum vis, et contra allegantem praedictam causam injuste illa inferebatur; ex hoc, inquam, tantum sequitur, quod mulier non possit privari privilegio, quod habebat stante matrimonio tantum rato, ut ipsa valeat ad Religionem transire invito quoque viro. Sed ex altera parte cum matrimonium sit consummatum, nil mirum, si hoc per professionem non dirimatur. Sibi vero imputet vir, si tale ei supervenit praejudicium, ut debeat

manere matrimonium, nec valeat ad alia vota transire post professionem suae conjugis, qui hoc sibi vinculum intexit.

4.° Si matrimonium sit consummatum, altera pars nequit Religionem ingredi, alia parte invita, sed tantum ea consentiente *ex cap. 3° h. t.*° Cum enim matrimonium consummatum professione solemni non solvatur, pars in saeculo manens privaretur jure suo, quod, nisi ea consentiente, fieri nequit. Quin imo si consensus compartis advenit ex fraude vel ex timore, non valet; cum juri suo quisque libere omnino debeat renunciare, prout liquet ex sensu contrario *cap. 16*, et *ex cap. 17 h. t.*° Ita ut si conjugatus nihilominus ingrediatur Monasterium possit ad instantiam conjugis revocari *ex cap. 12 h. t.*° In hoc autem casu revocationis qui professus est, non potest petere debitum, sed reddere tenetur: votum siquidem de proprio valet, sed de alieno non tenet. — Ast in eodem *cap. 12 h. t.*° quaeritur; an mortua uxore, a qua revocatus quis e Monasterio fuit, ipse valeat aliam sibi copulare, vel potius ad Monasterium redire cogatur? Et ad utramque partem respondetur « *negative.* » Ratio est, quia votum remanendi in Monasterio in habitu religioso ab initio non valuit, erat enim complexum, nempe *de proprio et de alieno*; unde non potuit tractu temporis convalescere juxta *regulam juris* in digestis: « quod ab initio vitiosum est, non potest » tractu temporis convalescere. » Valuit tamen ut

votum simplex castitatis, quod in conjugato importat, ut amittat jus petendi debitum, et resolutum per mortem primo matrimonio importat, ut quis novas nuptias non ineat. Quae si non obstante vetito ineantur, erunt illicitae, sed validae, cum eis opponatur votum castitatis simplex, et in hoc sensu tantum valet antiqua illa professio. Jus vero ecclesiasticum non permittit dari illum consensum, nisi et altera pars consensum praebens ingrediatur Religionem, aut saltem, si per aetatem jam senilem, aliasque circumstantias non sit suspecta de incontinentia, votum simplex continentiae in saeculo edat. Utrumque constat *ex cap. 1°*, *4° et 9 h. t.*° et primi redditur haec ratio: « quia cum » vir et uxor una caro sint, sicut docet Apostolus, » non potest unus ad Deum converti, et alter in » saeculo remanere; » quod scilicet importat maximam convenientiam, quam Ecclesia servandam esse voluit propter gravia incommoda, quae eâ neglectâ sequerentur; nec sufficit Ordinem sacrum assumere, ut pluribus ostendit Benedictus XIV *de Syn. lib. 13 cap. 12 num. 14.* — Secundi autem ratio est, quia in casu senescentis aetatis aliarumque circumstantiarum non timentur haec mala, proinde sufficit emittere in saeculo votum castitatis. Ex quibus explicatur dispositio *cap. 9ⁱ h. t.*°, quae secus esset inintelligibilis, et ita illud caput exponit Benedictus XIV *de Syn. lib. 13 cap. 12 num. 10*; nempe professionem conjugati esse validam, si altera pars consentiat; sed si haec non

praestat ea, quae a sacris canonibus sunt constituta, nempe ut et ipsa ingrediatur Monasterium, aut saltem in saeculo castitatem voveat, quando suspicio incontinentiae absit, integrum ipsi est Professum e claustris revocare, quamvis monenda sit, et propensius exhortanda ut ad Religionem transeat et castitatem servare promittat. Mortua tamen conjuge, debet ad Monasterium redire sub regulari habitu Domino serviturus, nec matrimonium validum inire de cetero potest. Illud votum vero, quod editur a parte in saeculo remanente, prout advertit Benedictus XIV *op. et loc. cit.*° num.° XI quamvis edi secundum canones debeat coram Superiore ecclesiastico et testibus, non est tamen solemne, quia ista exiguntur tantum ne umquam de illius nuncupatione dubitari queat.

5.° Haec porro, quae diximus de consensu ab altera parte praestando et de adimplenda alia conditione mutuae conversionis patiuntur exceptiones. Nam si conjux de adulterio convicta sit, pars innocens volens Religionem ingredi, non tenetur illius consensum requirere ex *cap. 15 et 16 h. t.*°, quia illius jura non laedit, cum ex crimine tali amiserit perpetuo quodcumque jus ad individuum vitae consuetudinem. Quod similiter evenit in casu apostasiae ex parte ejus, qui in fide catholica mansit ex *cap. 20 h. t.*°: hoc siquidem crimen aequiparatur adulterio juxta canones. Imo, ut *cit.*° *cap.*° dicitur, si praecesserit iudicium Ec-

clesiae pro separatione, potest pars fidelis ad Monasterium convolare reverso quoque viro ab apostasia, quod absque tali iudicio nequiret, si vir facti poenitens reverteretur. At si pars adultera ad bonam frugem redacta velit Monasterium petere, id facere nequit, nisi licentiam a parte innocente impetraverit, cum pars innocens nullum deperdiderit jus instaurandae individuae vitae consuetudinis ex alterius delicto; et in hoc casu pars consensum praebens non tenetur et ipsa Religionem petere, sed sufficit ut votum castitatis simplex edat extra Monasterium. Imo istud votum non exigitur nisi ex convenientia; nam si nolit praestari, non praestatur, dummodo anteacta vita non ingerat suspiciones. Et si hoc votum emittitur est temporaneum, nempe ad vitam mulieris professae: secuta vero morte pars innocens ad alia vota transire potest, ut rescripsit S. Congregatio Concilii in *Januensi diei 2 Maii 1722*, prout haec omnia exponuntur a Benedicto XIV *op. et lib. cit.*° *cap. 12 num.*° 15. Si demum pars adultera emendata a parte innocente recipi nolit tunc potest ad Monasterium migrare, ne ea quidem requisita; et ratio statim dignoscitur.

6.° Nunc de conversione conjugati ad Sacros Ordines. Ex *cap. Atiquae tit. de voto* in Collectione Joannis XXII certum est susceptionem Ordinis Sacri non dirimere matrimonium ratum antea celebratum; proinde sive antecedens matrimonium sit simpliciter ratum, seu ratum et consummatum,

requiritur semper uxoris consensus unde quaque liber, ita ut si quis uxore invita ascenderit ad Sacros Ordines, potest a muliere revocari, ut servet individuum vitae consuetudinem; et in eo casu maritus reddere tenebitur, sed non potest petere, obstante sui Ordinis lege: suspensus tamen ab Ordinibus exercitio manet. At demortua uxore sua alteram assumere nequit, quia Ordo major, qui valide receptus est, dirimit quodcumque matrimonium subsequenter ineundum. Mulier hanc licentiam concedens, si suspicionem incontinentiae, ut supra, non fugit, debet ingredi Monasterium; secus vota simplicia edet in saeculo. Quae tamen vota simplicia hanc vim habent, ut mortuo viro in Sacerdotio non sinant ab uxore aliud matrimonium ne valide quidem celebrari, et sunt impedimentum dirimens ex *Can. Seriatim distinct. 32^a*, ut apud Benedictum XIV *loc. cit. num. 16*. Verum si Episcopus fiat talis uxoratus, tunc mulier ob majorem viri dignitatem tenetur quocumque in casu ingredi Monasterium, ibique profiteri vitam regularem.

TITULUS XXXIII.

De Conversione infidelium.

1.º Quamvis Ecclesia firmiter retineat suam Religionem unice esse veram, et extra ipsam non posse haberi salutem aeternam, tamen fidem nunquam imposuit vi et armis ac coactione, sed persuasione promovit. Celebris est et antiqua dispositio *canon. 32 caus. 23 quaest. 5^a* in Decreto: « *ad fidem nullus cogendus est invitus,* » cui consonat *can. 5 Distinct. 45*. Hinc est quod petentes baptismum antiquitus Ecclesia probaret et instrueret in diversis gradibus catecumenorum, ut demum ad baptismum accederent et plene volentes et de fidei christianae dogmatibus sufficienter instructi; quod et hodie servatur, licet solemnibus antiquis catecumenatus modis recesserit. Hanc vero bonam voluntatem Ecclesia fovere constituit concessis quo-

que privilegiis; inter quae amplissimum illud est, quod tribuit Paulus III in Constitutione « *Cupientes* » *diei 21 Martii 1542* sic expressum: « Cui- » cumque Judaeorum et infidelium quorumlibet ad » fidem converti volenti bona sua quaecumque tam » mobilia quam immobilia intacta et illaesa per- » maneant. Et si bona ipsa ex usura aut illicito » quaestu fuerint acquisita, et notae sint personae » quibus eorum fuerit de jure facienda restitutio, » (quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur » ablatum) illa eisdem personis omnino restituantur. Personis vero non extantibus praedictis, » quia bona ipsa essent per manus Ecclesiae in » pios usus convertenda, bona hujusmodi eisdem » Judaeis et aliis infidelibus in favorem suscepti » baptismatis, tamquam in pium usum libere concedimus, eaque apud ipsos sic conversos Judaeos » et alios infideles remanere decernimus. Interdicens sub divini anathematis poena quibusvis » tam ecclesiasticis quam saecularibus personis, » ne ullam super bonis hujusmodi quovis quaesito » colore molestiam inferant, aut inferri patiantur, » sed magnum se fecisse lucrum existiment, dum » tales Christo lucrati fuerint. » — Non putavit tamen Ecclesia ut privilegium concedere dispensationem ab impedimento *criminis*, de quo sermo est in *parte prima cap. 1 h. t.*° propter rationem ibi allatam, nempe: « non enim hic dispensatio sine periculo » posset admitti, cum tale damnum tali lucro Ecclesia compensare non velit. » Relate tamen ad

hujus capitis conciliationem cum aliis dispositionibus juris loquemur Libro Quarto, cum de impedimenti matrimonii sermo instituetur.

2.° Circa conversionem ad fidem seu baptismum filiorum familias, qui nempe sub patria potestate sunt, quaenam sit Ecclesiae dispositio et praxis, breviter adnotandum est posse considerari duplicem casum, prout isti rationis usum habent, vel potius in infanti aetate sunt doli incapaces. Quoad infantes et doli incapaces, si isti ex parentibus fidelibus nati sunt, Ecclesia vult et potest jubere, quod baptismo offerantur, poenis interminatis in parentes tamquam de haeresi suspectos, habita ratione *canonis XIII De Baptismo Concilii Tridentini sess. 7^a*; et jure quidem, cum possit Ecclesia parentes fideles adigere, ut patria potestate recte utantur, nec deficient in procurando filiis summo bono, nempe fide, utpote medio necessario ad salutem aeternam. Idque verificatur etiam circa eos, qui recens ad fidem conversi sunt, ut filios infantes offerant baptizandos. Quod si unus parentum ad fidem conversus sit, alio in infidelitate manente, Ecclesia, prout constat ex *cap. 2° h. t.*° non abnormiter a dispositionibus juris Romanorum, prout notat Giraldi *op. cit.° part. 1^a sect. 547*, et maxime in favorem fidei christianae illos a converso parente baptismo oblatos acceptat, eorumque curam converso conjugii assignat, cujuscumque sint sexus tum conversus parens, tum liberi: quod docet etiam Benedictus XIV in Epistola Decretali

« Probe te » diei 15 Decembris 1751. Hinc patet quam sit irrationabilis et Ecclesiae imo familiae jurium laesiva dispositio nonnullorum liberalium Guberniorum in America, qua interdicitur Parochis sub gravissimis poenis administrare baptismum pueris ex parentibus quoque catholicis natis et a parentibus ad baptismum oblatis, nisi prius documenta ab Officialibus Gubernii recognita sint, et data baptizandi licentia; ad quam impetrandam cum non modicum tempus requiratur, pluries infelices isti non recepto baptismate demoriuntur. Isti sunt supremi liberalismi fructus! — Quoad filios infantes infidelium praevaluit in Ecclesia et in praxim deducta est sententia B. Thomae, eos non esse invitis parentibus baptizandos, tum quia difficile esset, imo generaliter impossibile eos juxta christianam legem educare, tum praecipue ne christiana Religio apud infideles odiosa redderetur, quasi christiani pacem familiarum turbarent, et raptos essent filiorum. — Exceptiones tamen dantur; et primo quidem quoad filios expositos, qui ex hac parentum crudelitate ab eorum potestate evasisse dicendi sunt. Ad quam exceptionem hodierni Missionarii catholici respicientes in Sinensi Imperio christianae charitatis vere martyres, tot collegerunt puerulos, et eos Christo lucrati sunt, ac vitae conservarunt, non minus de christiana Religione quam de humanitate benemeriti. — Altera exceptio est de infantibus in mortis periculo aut articulo constitutis, quos jam pene evasuros patriam potestatem sum-

num emolumentum est Christo lucrifacere et salute aeterna per baptismum donare. — Ceterum si etiam contra veniam potestatis ecclesiasticae pueri infidelium baptismate donati sunt, debent christiano more educari, cum facti sint Ecclesiae filii ejusque legibus subjecti. *Legispraxium annuati*

3.° Longe aliter res procedit quoad filios familias, qui ad aetatem pervenerint legitimam. Legitima aetas quoad hoc est septennium aetatis completum, ut tenuit S. Congregatio Concilii in *Vilnensi 16 Julii 1639* citata a Benedicto XIV in Litteris ad Archiepiscopum Tarsensem diei 17 Martii 1747, et ex praxi communi catholicorum. Porro filius infidelium cum ad hanc discretionis aetatem pervenerit quoad negotium Religionis omnino liber est et plene sui juris non persentiens patriam auctoritatem *cap. 9° de Judaeis*, nec sequi *invitus* tenetur aut manentes in infidelitate parentes, aut ad veram fidem migrantes. Quod si hoc verum est in systemate ecclesiastico, a fortiori deberet esse verum in systemate liberalium; qui nihilominus sibi semper inconsequentes cum agitur de praejudicio inferendo Ecclesiae catholicae toti sunt in exaggerandis juribus patriae potestatis et in perscrutanda voluntate adolescentis, si hic, relicto judaismo aut alia falsa Religione, ad catholica sacra libens confugit; et exempla nostri aevi non desunt. At Ecclesia verae libertatis assertrix, eam, hac in re quaecumque impedimenta removens, fovit, prout ex jam dicta Pauli III Constitutione

« *Cupientes* » constat; in qua prohibuit « ut filii
 » familias et in patria potestate constituti legitimâ
 » et quacumque alia portione bonorum patrimonialium
 » aut maternorum de jure seu successione
 » bonorum eis alias debitorum per eorum parentes
 » fraudari aut privari non possint, neque debeant,
 » sed eis integre, etiamsi contra voluntatem parentum
 » suorum ad fidem ipsam conversi fuerint,
 » et eorum parentibus viventibus, debeantur. »

Quod confirmatum est a Clemente XI Constitutione

« *Propagandae* » V Idus Martii 1704. *Apud Bononiam*

*Notandum est quod quosdam oblatos ad studium non esse
 susceptos nisi parentibus consentientibus de educatione Christiana, id est
 a. f. in universis, sine eis in propriis sine alio modo
 fieri non potest.*

*Oblatio de filiis bonorum a terra ad domum, hinc domum
 dependet aliam de filiis, per non hoc uti et aliter bonum, sed
 saltem manere debet dignitas honorandus Dominus, esse pro genitum
 testis acceptum, id est qd. parentis cupit, sed in Propaganda
 volubant, domini in corrigere potestatem hinc loco id a Martii*

TITULUS XXXIV.

De voto et voti Redemptione.

1.º Votum communiter a Doctoribus definitur
 « promissio vera deliberata Deo facta de re possibili et meliori. » Dicitur *promissio*, non simplex propositum quantumvis firmum, ut importet obligationem, cum est acceptata, quod in actu propositi non intelligitur. — Esse autem debet haec promissio *vera et deliberata*, ut intelligatur necessarium esse animum promissionis, neque externa tantum verba sufficere; sicut ad essentiam voti requiritur perfecta animadversio ejus quod quis agit et plena libertas seu talis, qualis requiritur et sufficit ad peccandum graviter et ad merendam salutem. — Additur in definitione quod fiat *Deo*; namque votum est actus Religionis seu Patriae soli Deo debitus. Hinc quae vota dicuntur fieri B. Ma-

quod?

riae Virgini et Sanctis, ea fiunt Deo in honorem Deiparae vel Sanctorum. — Fit vero votum de re *possibili*, quia impossibile nulla est obligatio. Haec autem possibilitas in voto longe alia est, quam possibilitas legis, cum sub voto cadere possint ea, quae non cadunt sub lege; lex siquidem fit de bono, votum vero fieri potest quoque de perfecto, dummodo non superet vires humanas divina gratia adjutas. Et votum fiet de re honesta saltem ratione circumstantiarum vel finis, non autem indifferenti, spectatis quoque adjunctis, quia alias a Deo non acceptatur. — Tandem fit votum de re *meliori*, nempe non *impeditiva majoris boni, quod quis actu habet*. — Votum porro dividitur: — (a) in *conditionatum* et *absolutum*, prout ejus obligatio alligatur verificationi alicujus conditionis, aut pure promittitur, etsi executio retardari dicatur usquedum aliquid certo eventurum successerit: — (b) in *solemne* vel *simplex*; et solemne dicitur quod ex ratihabitione Ecclesiae voventem reddit inhabilem ad omnes actus voto repugnantes, seclusa Pontificis dispensatione, ut est professio religiosa solemnis, et votum castitatis Sacris Ordinibus annexum; quamvis hoc ultimum improprie votum dicatur, et melius vocetur lex sacris Ministris imposita, quae matrimonium quodcumque subsequens reddit invalidum. — Alia vota sunt simplicia etsi perpetua esse queant, et cum aliquibus ceremoniis emittantur. — (c) In *reale* et *personale* et *mixtum*; *reale* est, quo promittitur alicujus rei

praestatio vel remissio; *personale*, quo actio vel omissio actionis a persona procedens spondetur; *mixtum* demum cum et actio personalis et rei datio simul spondetur: — (d) in *reservatum* et *non-reservatum*. *Reservatum* est, quod eximitur a potestate ejus, qui alias habet potestatem dispensandi in votis; *non-reservatum* vero quod non eximitur. — Vota porro Summo Pontifici reservata ab Auctoribus notantur quinque, nempe votum perpetuae et perfectae castitatis, votum Religionis, et votum unius ex tribus peregrinationibus, scilicet ad urbem Jerusalem, ad S. Jacobum de Compostella vel ad Limina Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli. — A nonnullis autem Doctoribus inter vota reservata recensentur quoque vota *obligatoria*, in quibus de praejudicio tertii agitur, a quo eadem sunt acceptata, et vota *poenalia*, quae *praeservativa* a peccato nuncupantur. Et jure quidem, cum Pontifices, et praesertim Benedictus XIV in Constitutione « *Benedictus Deus* » quam dedit occasione Jubilaei, concedendo facultatem Confessariis pro commutatione in alia pia opera votorum S. Sedi reservatorum, inter alia exceperit « vota obligatoria, quae a tertio acceptata fuerunt, seu in » quibus agatur de praejudicio tertii, nec non poenalia, quae praeservativa a peccato nuncupantur, nisi commutatio futura judicetur ejusmodi, » ut non minus a peccato committendo refranet, » quam prior voti materia. » — Suffragatur et ratio, cum praejudicium hoc tertii, eo invito, non possit

a iudice inferiori sperni, sed tantum a supremo iudice. — Est et votum iuramento firmatum emissum ab Alumnis Collegii de Propaganda Fide, quod ex Constitutione Alexandri VII « *Cum circa* » diei 20 Julii 1660 est Summo Pontifici reservatum, et si quis, eo non relaxato, ingrediatur ac profiteatur Religionem, professio nulla est.

2.º Omnis autem homo rationis expeditum habens usum vovere potest, nisi specialiter impediatur, ut communiter censent Doctores cum S. Thoma 2.ª 2.ª quaest. 88 art. 8. — Impedimenta autem sunt vel *juris specialis dispositio*, prout vidimus de votis professionis religiosae, quae edinequeunt ante completum decimum sextum aetatis annum; vel *defectus plenae libertatis* disponendi de materia, quae vovetur, prout evenit in illis, qui sunt sub potestate aliorum, ut filii familias, conjugati, servi, et Religiosi, quemadmodum inferius explicabitur. — Nec solum individua, sed et communitates emittere vota queunt, eisque se obligare, sicut experientia docet, eaque vota edi possunt vel ad *tempus determinatum*, puta ad centum annos, aut *in perpetuum*. — Votum porro obligat vi Religionis; liberum enim est vovere vel non, sed postquam votum est emissum, reddendum est, ut constat ex *cap. 6º et 10 h. t.º* Et haec obligatio in materia gravi regulariter obligat sub gravi ex *cit.º cap. 6 h. t.º*, quamvis in materia levi possit sub levi obligare, et ita regulariter obligat; cum in virtute Religionis admittatur magis et minus, ex-

cepto iuramento assertorio, in quo Deus invocatur in testem veritatis illius quod pronuntiatur. Haec autem obligatio saltem *vi voti* non egreditur personam voventis. Unde superveniunt in hac materia duae quaestiones, nempe de reddendis votis defunctorum et de votis communitatis a supervenientibus adimplendis. — Circa vota defunctorum an ab haeredibus sint adimplenda Doctores exponentes doctrinam traditam in *cap. 6º h. t.º* distinguunt inter vota *realia* et *personalia*. Si votum est *reale* haeres tenetur illud adimplere saltem in quantum non superat vires haereditatis, etiamsi absque promissione successerit; non quidem ex *vi voti*, sed *ex justitia*, quia adeundo haereditatem, implicite se obligavit ad implenda defuncti onera et ad satisfaciendum obligationibus realibus, ut constat ex *cap. 6º de testamen.*, et sub hoc respectu jure dicitur haeres repraesentare personam defuncti. Non sic porro in *personalibus*, nam quoad ista valet principium, vota non obligare nisi eum, qui habuit intentionem se obligandi, qualem habuit solus defunctus, non haeres. Sed quoad ista quoque potest supervenire obligatio et quidem dupliciter, prout vel testator imponat haeredi adimplementum voti sui personalis tamquam conditionem ad haereditatem adeundam; et tunc haeres adeundo haereditatem, hanc quoque saltem implicite obligationem contrahit ex justitia id praestandi, quod ex voto debebat reddere testator; alius vero casus exponitur in *d.º cap. 6º h. t.º*

cum scilicet haeres in se libens suscipit adimplendum votum personale defuncti; qua in specie iste est alter vovens; unde non est mirum si et ipse teneatur *vi voti*, quod emisit. — Relate ad vota communitatis omnes Doctores conveniunt ea esse reddenda sive personalia illa sint, sive realia ab iis quoque qui in eadem societate sunt post mortem voventium, usque dum ea vota durant tum temporanea tum perpetua. Sed inter Auctores non convenit, qua ex ratione ista adimplenda sint. Plures enim Auctores tenent supervenientes in communitatem teneri tantum *vi consuetudinis*, seu *legis*; non autem *vi voti*. Quamvis vero haec opinio suo non destituatur pondere praesertim ex numero Doctorum eam retinentium, mihi tamen praeferenda videtur ea sententia, quae asserit omnes istos supervenientes in societatem teneri *vi voti*. Non est enim hoc votum singulorum, sed universitatis aut societatis; istius autem placitum manifestatur per majoris partis assensum. Aut ergo negandum est societatem posse se obligare *vi voti*; quod tamen fieri posse ab ipsis quoque contrariae sententiae fautoribus admittitur, aut dicendum est omnes, qui hanc efformant et in posterum efformabunt communitatem, eadem *vi voti* teneri. Cum enim societas suam voluntatem manifestaverit per sententiam majoris partis, singulorum voluntas implicita constat ex hoc, quod in hac societate manent, neque ab ea recedunt; cumque societas semper sit, etsi alii per mortem aut

alio modo recedant, aliique accedant, non minus illi, qui expresse voluerunt, quam illi, qui in hac societate supervenerunt et consistunt, *vi voti* teneantur.

3.º Accedentes ad alteram tituli partem, dicimus voti redemptionem stricte sumptam esse mutationem *voti personalis* in *reale*, sed in hoc titulo assumi pro quavis cessatione vel mutatione voti. Cessare autem potest votum vel *nullius auctoritate interveniente*, vel *interventu auctoritatis humanae*. Cessat enim votum per se, si materia voti mutetur, aut circumstantia nova superveniat obstans voti adimplemento; quae facile explicantur. Interventus autem auctoritatis humanae se prodit tripliciter, scilicet per *irritationem*, per *commutationem*, et per *dispensationem*; de quibus breviter loquendum. — Irritatio est « actus liber, quo » is, a quo vovens dependet, tollit voti obligationem. » — Dependens porro haec importat, ut vovens sit alterius potestati dominativae subjectus; proinde si hic votum emittit, censetur istud emittere sub tacita conditione « *si alter consenserit vel non contradixerit.* » Unde si emisso voto, supervenit deinde alterius contradictio vel non ratihabitio, votum redditur nullum, neque umquam amplius reviviscit tamquam deficiente conditione essentiali. Tales sunt filii familias impuberes vel puberes, Religiosi, servi et conjugati post consummatum matrimonium et eo constante. — Sed numquid omnia istorum vota irritari possunt? Non ita est

censendum, quia potestas haec dominativa non est pro omnibus enunciatis personis universalis, sed suos habet limites. Sic etsi quoad filios impuberes pater, eoque deficiente, tutor habeat potestatem irritandi omnia vota tum realia tum personalia, est siquidem horum potestas primo in personam, deinde in bona, puberum tamen filiorum vota tantum illa possunt irritari, quae administrationi aut gubernationi domesticae praejudicant. Ita Praelatus omnia Religiosorum sibi subjectorum vota eorum statum non constituentia cujuscumque sint materiae potest irritare, excepto voto transeundi ad Ordinem strictiorem, namque eis hanc potestatem jus ecclesiasticum tribuit. — Quoad servos pariter dicendum est dominum posse eorum vota irritare, quatenus ejus obsequio possunt esse impedito. — Demum maritus ea solum vota uxoris irritare potest, quae usui matrimonii, educationi prolis et gubernationi domesticae praejudicant, uti vicissim uxor irritare valet vota mariti juri suo praejudicantia. Atque haec est commuuis Doctorum sententia. — Irritationis vero conceptus singularis omnino est; fit siquidem nomine proprio irritantis, non vero nomine Dei, ut commutatio et dispensatio, sese deinde extendit ad omnia vota Sedi Apostolicae reservata, nec ad sui valorem requirit aliam causam quam irritantis voluntatem, et demum tollit omnem obligationem. — Sequitur voti commutatio, quae definitur « subrogatio alterius operis pii melioris, aequalis, vel inferioris loco operis

voto promissi. » Ex quo eruitur commutationem non tollere omnino voti obligationem; sed loco prioris operis sub eadem obligatione Religionis substituere novum opus, quia subrogatum suscipit naturam ejus, cui subrogatur. Porro commutatio si fiat in melius opus et omnibus perpensis Deo gratius, compleri *regulariter* potest ab ipso vovente absque alicujus auctoritate ex *cap. 4^o h. t.^o*, et ratio redditur in *cap. 3^o de jurejur.* « *non enim propositum aut promissum infringit, qui in melius illud mutat.* » — Dixi *regulariter*, nam excipienda sunt quinque vota Papae reservata, quae etiam in melius commutari nequeunt, nisi in professionem religiosam ex citato *cap. 4^o h. t.^o* Quae tamen professio religiosa pro iis votis non suffragatur, quae juramento firmata sunt, neque pro iis, quae sunt in favorem tertii ab hoc acceptata, ut patet ex Constitutione Benedicti XIV « *Inter praeteritas* » diei 3 Decembris 1749. — In opus autem aequale vel inferius ille potest commutare vota, qui potest in iis dispensare. Advertendum tamen est: — (α) commutationem fieri nomine Dei, ut fusius dicetur in evolvenda theoria dispensationis, et proinde requiri causam, sine qua non valet commutatio. — (β) Commutationem ab eo concedi posse, cui datum est dispensare, non viceversa, cum plus sit dispensare, quam commutare; unde cui plus datum est, censetur et minus esse concessum, non vero e converso. — (γ) Facta commutatione posse nihilominus voventem redire ad prius opus voto

promissum, quia commutatio facta est in bonum ejusdem voventis: — (δ) demum commutatione completa, si materia subrogata facta est impossibilis vel inutilis, nullam esse obligationem exequendi prius votum; quod commutatione extinctum est. — Hoc tamen verum est quando commutatio facta est aliena voluntate seu auctoritate; nam si facta sit propria voluntate; tunc si materia subrogata fiat impossibilis, redit primaeva obligatio, cum primum votum non fuerit extinctum, sed compleatur alterius operis praestatione.

4.° Dispensatio est « actus jurisdictionis ecclesiasticae, quo obligatio per votum contracta nomine Dei ex justa causa remittitur et relaxatur. » — In qua definitione advertendum est: — (a) dici actum jurisdictionis ecclesiasticae, quia haec potestas tantum iis competit personis ecclesiasticis, quae habent subditos eosque in foro externo gubernant; sicut enim illi leges faciunt, sic pariter ipsis datum est ut vincula votorum relaxent. Et quidem quoad suos subditos hanc exercere valent facultatem. Hinc Pontifex pro universa Ecclesia id praestat, Episcopi pro suis Dioecesibus. Et praestantissime haec potestas in Summo Pontifice eminet, qui eam exercet sive per Se, vel per suum Majorem Poenitentiarium in universo orbe, vel per Legatos a latere in provinciis, ad quas missi sunt, vel tamquam privilegium hanc concedens potestatem Confessariis Ordinum Religiosorum exercendam tamen de consensu et licentia suorum Superiorum, aliis-

que sibi bene visis ecclesiasticis viris eam delegans. Et quoniam ipse Pontifex est in quavis Dioecesi Ordinarius, atque ordinaria praestat auctoritate super omnes Episcopos; hinc est quod nonnullorum votorum dispensationem sibi reservat, quae vota jam superius indicavimus. Praelati quoque Regulares exempti quoad suos Religiosos hanc potestatem consequuntur: Parochus vero, cum non habeat jurisdictionem in foro externo, vi sui muneris non valet in votis dispensare. — (b) Addi in definitione *nomine Dei*. Votum siquidem cum constituat obligationem hominis ad Deum, non potest aliquis hoc relaxare vinculum, nisi Dei nomine, quam potestatem Christus propter rectam Ecclesiae administrationem dedit Petro ejusque successoribus participandam aliis Ecclesiae Praesulibus. Quae potestas consistit in autentica interpretatione Deum in tali casu positis circumstantiis in dicta specie concurrentibus non acceptare editum votum, aut remittere obligationem: — (c) proinde concludi in definitione adesse debere *justam causam*. Atque hoc adeo essenziale est, ut veris non existentibus causis dispensatio non modo sit illicita, sed etiam invalida. Neque hoc est singulare; suppetit siquidem principium: inferiorem invalide dispensare in lege Superioris absque justa causa, etiamsi ipsi sit data dispensandi facultas; cum excedat limites commissae potestatis. — Praelati vero dispensantis est judicare utrum allatae causae sint sufficientes ad concedendam dispensa-

tionem, vel non. Porro causae quae communiter allegantur, quaeque ab Auctoribus recensentur sunt — *primo* defectus perfectae et maturae deliberationis in voti nuncupatione. — *Secundo* si votum spectata dispositione hodierna voventis sit occasio majoris spiritualis ruinae, quemadmodum si in voti executione gravis difficultas nec satis praevisa sentiatur. — *Tertio* si votum cedat in damnum propriae domus vel familiae. — *Quarto* si dubium sit utrum votum non sit impeditivum majoris boni. — Superior ecclesiasticus attendens ad causas allegatas, si sibi sufficientes videntur, tenetur dare dispensationem, quia obligatur ad prospiciendum necessitatibus suorum subditorum. Sed aliquoties accidit, ut nonnullae causae sufficientes existant pro danda commutatione, non autem pro totali dispensatione; atque tunc discretus Praelatus commutationem concedet vel in aequale aut inferius opus.

5.º Sicut patet ex Constitutione Benedicti XIV « *Pastor Bonus* » diei 13 Aprilis 1744 in § 29 S. Poenitentiaria quoad omnia vota simplicia etiam privato juramento firmata relaxanda procedit. Verum ejus praxis est ad tramites *cap. 1 h. t.º*, ut dispensando commutet, vel votorum adimplementum differat, vel ab illorum transgressionibus absolvat consideratis causis et adjectis clausulis, nonnullisque aliis injunctis. Eamque potestatem Major Poenitentiarius vel per se exercet, aut aliis personis facultatem dispensando commutandi, diffe-

rendi aut a transgressionibus votorum absolvendi mandat. Quoad istas autem concessas facultates attendendum est, Episcopos optime se gerere, si eas clausulas adhibeant, et ea injungant, quae solent apponi et injungi a S. Poenitentiaria; sed necessario debent id praecavere ne absolute dispensent; quia eis datum est *dispensando commutare*; et si aliter agerent concessae facultatis limites excederent. — Circa vota vero solemnia aut in Congregationibus ecclesiasticis edita S. Poenitentiaria non procedit quacumque allegata causa, nisi in casibus occultis et dato Rescripto pro foro conscientiae tantum, cum secus isti casus pertineant ad S. Congregationem Concilii aut Episcoporum et Regularium, et nonnumquam ad Tribunal Supremum Romanae Inquisitionis. — Hic locus est diluendae illius difficultatis, quae petitur ex *cap. 6º de statu monachor.* nempe quod Pontifex nequeat vota solemnia relaxare; nam, ut explicat Thesaurus *de poenis ecclesiast. verb. Religiosus proprietarius cap. XI*, verba illa capitis « abdicatio paupertatis » sicut et custodia castitatis adeo est connexa regulae monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere; » intelligenda sunt *in sensu composito*, quatenus ille maneat Religiosus. At *in sensu diviso* Pontifex potest, nempe tollendo totum vinculum professionis religiosae, et hominem religiosum saecularizando.

TITULUS XXXV.

*De Statu Monachorum
et Canoniorum Regularium.*

1.° Post ea, quae de Regularibus dicta sunt *tit.° XXXI*, hic exponuntur quae a jure sive naturali sive ecclesiastico proposita sunt ad observantiam votorum in professione religiosa editorum. Agit autem titulus tum de Monachis tum de Canonicis Regularibus, ut comprehendat Regulares quoscumque. — Canoniorum Ordo, ut loquitur Natalis Alexander in *Historia Ecclesiastica tom. 13° cap. 7° art. 7°* a Sanctis Apostolis institutus, a S. Augustino renovatus et reformatus, sub initio saeculi Ecclesiae undecimi florentior surrexit ac propagatus est opera praesertim B. Petri de Honestis in Italia, Ivonis Carnotensis Episcopi in Gallia, S. Norberti in Dioecesi Laudunensi, et Roberti Eboracensis in Anglia. Sub hoc tempore fuit

verus Ordo ex professione trium votorum substantialium, agente praesertim S. Petro Damiano et confirmante deinde Regulam Paschale II; et ex hoc factum est, ut status Canoniorum Regularium idem esset ac status Monachorum qui prius idem non erat, cum Canonici Regulares professionem non tenerentur emittere.

2.° Status hic Regularium exigit juxta vota, ut ipsi vivant in paupertate, castitate et obedientia. In hoc vero titulo quaeritur quomodo debeant haec vota observari, adimpletis quoque praescriptionibus positivis juris ecclesiastici. Et quod pertinet primo ad votum paupertatis; hoc votum, ut communiter tenent Doctores, de sui essentia non exigit, ut dominio rerum temporalium possessorum quis abdicet, et ad possidendum incapax reddatur, sed tantummodo, ut vovens privetur potestate libera eis utendi, ita ut absque Superioris consensu non possit ulla re uti, vel de re ulla disponere, et illo volente teneatur vovens ejus dominio abdicare, ut advertit Lessius *de Justitia et Jure libr. 2° cap. 4° num.° 27*. Hac potestate bonis utendi nisi de venia seu consensu Superioris privantur omnes, qui votum paupertatis emiserint, etiamsi hoc votum simplex existat, quamvis qui simplex votum ediderunt super bonis propriis conservent jus proprietatis, quod dicitur *radicale*. Quo verbo intelligitur, quod illa bona eorum *in proprietate* sunt, sed eis non competit *proprietatis utilitas*, nempe facultas libere eis utendi et disponendi pro lubito et cum

exclusionem aliorum, sed usus determinatur a voluntate Superioris, a quo ipsi dependent. At vero si votum paupertatis est *solemne*, tunc importat cujuscumque proprietatis abdicationem et incapacitatem ad illam de cetero acquirendam ut praescribitur *cap. 6° h. t.* Non quod Professus in votis solemnibus non possit acquirere, namque capax acquisitionis est, at non sibi acquirit, sed Monasterio aut Religioni juxta illud celebre effatum pluries expositum: « quidquid Monachus acquirit, Monasterio acquirit. » — Acquisitio autem haberi potest vel ex labore, vel donatione, vel etiam haereditate, cujus acquirendae sive ex vocatione, sive ex successione sunt ipsi capaces, dummodo Institutum valeat in communi possidere, et ad illud recta transeunt istae possessiones. — Dicitur autem in *cap. 2° h. t.*: « qui peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro injuncta administratione permissum a Communionem removeatur Altaris etc. » Quibus verbis interdicitur quaecumque peculii retentio, attamen dictio haec canonis longa indiget explicatione. Nam *peculium juridicum* habere unicuique Professo tam simpliciter quam solemniter votum paupertatis interdicitur, quia peculii possessio importat et proprietatem et administrationem, praesertim si sit castrense vel quasi-castrense. E contra qui votum simplex edidit paupertatis habet proprietatem sui peculii, sed non habet administrationem et liberum usum; qui vero solemne edidit votum, nec servat proprietatem, nec liberum

habet usum. Ergo in hoc capite, quando sermo est de peculio, intelligitur non peculium juridicum, sed per similitudinem ad ipsum quidquid bonorum stabilium vel mobilium alicui communitatis subiecto a Superiore conceditur, ac sibi habere permittitur sine ullo proprietatis jure (in solemniter Professis) et ad merum usum facti, ideoque revocabiliter ad nutum concedentis. Qui professus solemniter aliquid retinere dignosceretur absque licentia Superioris in sui liberum usum, vel ad liberam sui dispositionem, ut reus laesi voti paupertatis vel ut proprietarius puniebatur. At praedictum Caput indiscriminatim relinquebat in manu seu arbitrio Superioris permittere usum et administrationem rerum quarumcumque Religioso; quod tamen arbitrium coercitum fuit a Concilio Tridentino in *cap. 2° sess. 25 de regular.* — Quod decretum quatuor continet partes, nempe: — 1° interdicit, ut Professi teneant vel possideant bona immobilia vel mobilia cujuscumque qualitatis sint etiam quovis modo ab eis acquisita tamquam propria aut etiam nomine Conventus seu Communitatis, sed injungit, quod statim ea Superiori tradantur, et Communitati incorporentur. Quae est antiqua regula, ut nemo proprietarius reputetur, sed universa proprietas ad Monasterium pertineat, eique incorporetur. — 2° Distinguit deinde inter *bona stabilia* et *mobilia*; et de *bonis stabilibus* praecipit non licere Superiori ea concedere alicui Regulari etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem aut

commendam, sed quod administratio bonorum Monasteriorum seu Conventuum ad solos Officiales eorumdem ad nutum Superiorum amovibiles pertineat: et en limitatio antiquae regulae facta, quae Superioribus permittebat concedere Religiosis administrationem quoque rerum immobilium ad Monasterium spectantium. — 3° Superioribus demum permittitur, ut mobilium rerum usum ita Professis permittere valeant, quatenus eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat, nihilque superflui in ea sit, nihil etiam, quod sit necessarium, eis denegetur. — 4° Si quis aliter quidquam tenere deprehensus aut convictus fuerit, is activa et passiva voce privatus sit; atque etiam juxta suae Regulae et Ordinis constitutiones puniatur. Quae poenae a Concilio Tridentino hic statutae juxta laudatum P. Thesaurum *op. et verb. cit.* cap. 12° faciunt cessare poenas legis antiquae in cap. 2° et 4° h. t.° Eadem profecto decernit Clemens VIII in Constitutione « Nullus » diei 25 Junii 1599 § 2.° Si quae autem difficultates in hac re potuerunt supervenire, eae sublatae sunt sequentibus dubiis propositis et resolutis apud S. Congregationem Concilii relatis a Giraldi *Expositio Juris Pontificii part. 1^a sect. 555.* « Quaeritur — » I an ex dispensatione inferiorum Summo Pontifice liceat Regularibus possidere, vel tenere » agros, annuos redditus, aliaque bona, immobilia » videlicet, et mobilia superflua, non obstante decreto Concilii *sess. XXV de regul. cap. II.* —

» II An propter talem dispensationem, seu scientiam Superiorum, possidentes, vel tenentes immobilia vel mobilia superflua, a culpa, vel a poena excusentur? — III An Superioribus asservantibus, hujusmodi licentias posse concedere, fides adhibenda sit? — IV An Superiorum arbitrio, et praefinitioni stare debeant Regulares quoad mobilia superfluitatem, et convenientiam? — V An Superiore, quantumvis requisito, necessaria suis Regularibus negante, vel subtrahente, liceat ipsis clam, vel invito eo, illa sibi comparare, seu retinere? — VI Et quatenus liceat, an itidem liceat, cum necessaria ideo negantur, vel subtrahuntur, quia Monasterii facultates non suppetunt? — VII An dicti Superiores Regulares dictum *cap. 2* declarare, et interpretari possint? — Ad I Congregatio Concilii respondit, non licere. — Ad II Non excusari, neque a culpa, neque a poena, ipso facto incurrenda. — Ad III Minime adhibendam. — Ad IV Nisi de excessu arbitrii constiterit, utique stare debere, habita videlicet ratione personae, officii, et regulae, statusque paupertatis, quam professi sunt, et caeterarum itidem qualitatum. — Ad V Non licere. — Ad VI Licere si praecisa necessitas sit ad individui sustentationem: caeterum communem pecuniam ab omnibus percipiendam, usque adeo, ut si quid privatim alicui delatum, vel ab ipso partum fuerit, id omne ad Superiorem recta deferri oporteat, qui ex eo primum suc-

» currat ejus necessitati, cujus intuitu illud obve-
 » nerit, si peculiari aliqua necessitate ultra com-
 » munem prematur, reliquum Conventui incorpo-
 » retur, ut in communem cedat utilitatem. — Ad
 » VII Non posse. » — Ex quibus certo liquet qui-
 nam Religiosus ut proprietarius habeatur, et qui
 etiamsi proprietarius stricta termini significatione
 non sit, nihilominus quoad culpam et poenam ut
 talis retineatur.

3.° Religiosi proinde bonis omnibus ac ju-
 ribus abdicatis in favorem Instituti, cui nomen de-
 derunt, nullo privatae proprietatis jure sibi reser-
 vato, providendi de necessariis ab ipso Superiore
 vel Procuratore ejusdem Vicario tamquam asso-
 ciationis gestore, dicuntur vivere *in communi*, id
 est profiteri *vitam communem*. At diversimode
 quoad factum penes diversos Religiosorum Ordines
 res processit. In plurisque enim Ordinibus titulo
 et vice vestiarii datur singulis ex aere communi
 quaedam pecuniae summa, sicut et quaedam emo-
 lumenta ratione peculiaris officii et laboris, quibus
 occurri possit peculiaribus necessitatibus inde con-
 sequentibus, vel relinquitur libera applicatio ali-
 quarum Missarum quolibet mense; ex quibus pe-
 culium exurgit, quod pro futuris Religiosi ejusdem
 necessitatibus servari permittitur. E contra vero
 in aliis Ordinibus alius modus servatur, ut res
 omnes ad usum necessariae singulis in propria
 specie, non autem in aequivalenti ministrentur, ac
 proinde omnis pecuniae usus, atque inde emergens

peculium privatis interdicitur: qui ultimus modus
 vivendi vita *perfecte communis* appellatur. — Atque
 magnopere disceptatur: an Religiosi omnes et sin-
 guli indiscriminatim vitam perfecte communem
 servare teneantur? Nostram autem sententiam hac
 super re sequentibus enunciationibus proponi-
 mus: — 1° Religiosae paupertatis votum gene-
 ratim loquendo optime concipi ac emitti regulariter
 posse independenter a vita *perfecte communi*. Quia
 illud quod retinetur a non servantibus vitam per-
 fecte communem non est verum et juridicum pe-
 culium, si debitae conditiones serventur, cujus
 habeatur proprietas et libera administratio, sed
 utrumque deficit; proinde non est nisi improprium
 peculium, vel ad similitudinem peculii. Ita ex S. Al-
 phonso de Ligorio *Theol. Moral. lib. 4° cap. 1°*
de Statu Religioso. — 2° Neque damnari ista pe-
 culia posse ex jure Ecclesiae positivo, quod *vetus*
 appellatur, cum penes Theologos et Juristas con-
 troversum maxime sit, an veteres Ecclesiae can-
 ones loquantur de absoluta privati peculii pro-
 scriptione, et vitam *perfecte communem* Monachis
 praecipiant. Item non esse certum haec ex Jure
 novo damnari, nempe ex Decreto Concilii Triden-
 tini, aut posterioribus Romanorum Pontificum
 Constitutionibus, vel Declarationibus Sacrarum
 Congregationum, cum pariter habeamus pro affir-
 mativa et negativa sententia plures et graves Au-
 ctiores. — 3° Admissâ quoque Decreti Concilii Tri-
 dentini rigidiore interpretatione, minime tamen pri-

vata Religiosarum peculia damnari ideo posse, cum vel particularia statuta ab ipsis Romanis Pontificibus lata, approbata, aut benedicta etiam in pluribus mendicantibus Ordinibus, vel consuetudo legitima (prout haec peculiarum praxis diuturno tempore ac tacito Superiorum consensu firmata profecto evasit) eadem peculia tueantur; quemadmodum S. Alphonsus *op. et lib. cit.* tenet. — 4° Conditiones tradi ab Auctoribus et praesertim a Benedicto XIV *De Servorum Dei Beatificatione lib. 3° cap. 41°*, ut nempe: « Regularis eo peculio » utatur in causis licitis aut necessariis a Superiore approbatis, et ejus usum habeat cum promptitudine illud resignandi in manibus Superioris, » statim ac ei fuerit praeceptum. » Quibus conditionibus et ea adjungenda est, quam Clemens XII proposuit in Constitutione « *Ecclesiae Catholicae Regimini* » confirmans Constitutiones Ordinis Monachorum S. Hieronymi in Hispania, nempe ut haec peculia non retineantur a singulis Regularibus, sed deponuntur in Arca speciali, quae dicitur *Peculiorum*, cujus una clavis retineatur a Superiore, et altera a Regulari designando ab ipso Superiore cum deputatis vel cum Capitulo juxta consuetudinem Monasteriorum. — 5° Huic tamen inductioni peculiarum obstare posse vel particularia Ordinum statuta, vel disciplinae strictioris vigentem observantiam. — 6° Esse vero certissimum, vitae perfecte communis modum excellentissimum existere, et reputandum esse aptissimum

Regularis observantiae medium ac perfectionis instrumentum; et hinc Romanos Pontifices fuisse sollicitos in ea inducenda non quidem generali praescriptione, sed speciali lege pro Tyronum institutione. — Quod post Clementem VIII, Innocentium X, Alexandrum VII, et Innocentium XII praestitit Pius IX decreto edito ejus mandato a S. Congregatione Episcoporum et Regularium *diei 22 Aprilis 1851* et directo ad Generales Ordinum Superiores, in quo sequentia statuuntur: — 1° *In » omnibus Novitiatus domibus vita perfecte com- » munis introducat; et quaecumque indulta, pri- » vilegia, exemptiones, familiae illius individuis » antea concessa, derogata censeantur.* — 2° *In do- » mibus Professorii, educationis et studii, perfecta » Constitutionum observantia, potissimum de pau- » pertate, revocetur.* — 3° *In qualibet domo, sta- » tuatur aerarium seu capsula communis cum solitis » cautelis, in quam Religiosis omnibus, non ob- » stante quolibet privilegio, deponenda erit pecunia; » cum nil eis penes se retinere licitum sit, prae- » terquamquod Constitutiones respective permit- » tant.* — Qua dispositionum gradatione optime » intelligitur, quid ad sensum Sacrae Congrega- » tionis distinguendum sit. Tres siquidem ibi in- » nuuntur leges ceu conditiones Religiosi status » essentielles ab omnibus observandae, cujusmodi » sunt: — 1° aerarium commune seu Capsula De- » positi, quin tamen aut exactae vitae communis, » aut perfecta Constitutionum observantia urgea-

» tur; — 2° perfecta Constitutionum observantia
 » praescindendo tamen ab exacta vita communi,
 » quam forte Constitutiones non praescribant; quod
 » non omnes indiscriminatim urget, sed domus
 » tantummodo Professorii, educationis, et studii;—
 » 3° autem perfectius Religiosorum Tyrocinium
 » atque institutio, quibus vita perfecte communis
 » absolute praescribitur. — Idipsum eruitur ex
 » responsis ejusdem S. Congregationis ad quae-
 » sita Fratris Joannis Decii Lebois Sacerdotis
 » Congr. de Somascha. — Postulaverat ipse: —
 » 1° An Religiosi, qui in domibus professis Con-
 » gregationis communem vitam sponte professi
 » sunt et observant, a Superioribus pro libitu tran-
 » sferri possint in domus, in quibus illa vita non
 » observatur? — 2° An Religiosus semel abstractus
 » ab vitae communis observantia et in domum,
 » illam non profitentem, translatus, in posterum ad
 » eandem vitam communem capessendam a Su-
 » perioribus cogi possit? — 3° An majores Ordinis
 » Superiores qui vitam communem non profitentur,
 » domos in quibus illa vita communis observatur,
 » in locum residentiae sibi eligere, et ibi commo-
 » rari possint? — Ex audientia SS^mi die 1 Octo-
 » bris 1852 SS^mus propositis dubiis rescribendum
 » mandavit. — Ad 1° negative. Si vero aliqua
 » gravis causa concurrat, recurrant ad S. C. pro
 » temporanea translatione. — Ad 2° Quoad fu-
 » turum provisum in primo: relate vero ad prae-
 » teritum, si translatio fuerit provisoria, a firma-

» tive: secus hortandos esse. — Ad 3° Negative,
 » nisi vitam communem profiteantur. — A. Biz-
 » zarri. »

4.° Ex dictis clare intelligitur quaenam se-
 cundum regulas ecclesiasticas debeat esse obser-
 vatio voti paupertatis non solum in personis so-
 lemniter professis, sed et in emittentibus vota sim-
 plicia in diversis Congregationibus. Sed aliquando
 difficultates obveniunt, quominus talis observantia
 verificetur, et isti casus hodie maxime practici ex-
 pendendi sunt. Difficultas imprimis venit a ple-
 risque Guberniis civilibus, quae dum Communita-
tibus Religiosorum denegarunt jura proprietatis et
possessionis, haec eadem jura concesserunt Reli-
giosis individuis, et Religiosas personas respexe-
runt tamquam capaces proprietatis. Ut contra di-
 spositiones istorum Guberniorum Ecclesia tueretur
 jus possidendi in *commune* harum Religionum, et
 votum solemne Religiosorum, constituit, ut pro-
prietates entium moralium inscriberentur in pu-
blicis tabulis nomine duorum vel trium Religio-
sorum, qui realiter non erant nisi fiduciarii, quique
 ad invicem alias substituerent; qui loco ipsorum,
 eveniente morte, succederent in eadem inscriptione.
 Quod licet cum gravi expensa, usque adhuc tamen
 salvam fecit hanc possessionem ab unguibus fisci.
 Circa alterum Ecclesia debuit permittere, ut Re-
 ligiosi vi voti solemnis incapaces proprietatis ali-
 quos actus ederent coram Gubernio civili, qui non-
nisi a proprietariis edi valent, et proinde civiliter

tamquam proprietarii apparent; quos actus annuente Pontifice salvis votis edere poterant, cum non essent vere proprietarii si hac licentia egebant, eamque consecuti sunt. Quin imo aliquando Ecclesia debuit eos Religiosos voti sollemnis ad actus dominii edendos omnimodo habilitare, ne proprietas Monasteriorum (quae in aliquibus regionibus incapacia habentur ad possidendum) caderet in manus Gubernii; prout ex sequenti responso S. Congregationis pro Negotiis ecclesiasticis extraordinariis constat: « die 31 Julii 1878 ex auctoritate SS^{mi}. — Eminentissimus ac Reverendissimus Dominus Cardinalis Victor Augustus Isidorus, Archiepiscopus Mechliniensis una cum suis Suffraganeis a Sanctissimo Domino Nostro exostularunt, ut ad removenda quaecumque dubia explicare et declarare dignaretur, utrum rescriptum de die 1 Decembris 1820, quo S. Poenitentiaria Auctoritate Apostolica concessit Regularibus Belgii utriusque sexus etiam solemniter professis, ut bona acquirere, retinere et administrare, deque iis disponere possent non obstante sollemni paupertatis voto, etiam nunc in integro suo robore permaneat. Sanctissimus Dominus Noster Leo Divina Providentia Papa XIII, referente me infrascripto Secretario S. Congregationis Negotiis ecclesiasticis extraordinariis praepositae, audita prius nonnullorum Eminentissimorum Patrum sententia, respondendum esse mandavit *Affirmative*, ac praesentium te-

» nore declarare dignatus est, quatenus opus sit, » omnes singulosque Belgii Regulares utriusque » sexus, etiam qui vota sollemnia nuncuparunt, » praedictos omnes actus valide ac licite exercuisse » et exercere, ac proinde potuisse ac posse tuta » conscientia etiam cum jurejurando asserere se » voluisse ad normam legum civilium verum dominium bonorum a se possessorum acquirere » una cum jure de iis disponendi. Super quibus » Sanctitas Sua mandavit hoc edi decretum, et in » acta superius memoratae Congregationis referri. » Contrariis quibuscumque minime obfuturis. — » Datum Romae e Secretaria ejusdem Congregationis, die, mense et anno praedictis. — Wladimirus Kzacki Secretarius. » — Sed aliam quoque difficultatem perpessi sunt ex parte Guberniorum civilium Regulares, cum, dissolutis Religiosis familiis, debuerunt claustra relinquere, et ad saeculum migrare, prout ultimis hisce temporibus in Italia evenit. In hoc enim rerum statu Ecclesia debuit permittere, ut ad providendum sibi in hoc novo statu et possent acquirere, acquisitumque sibi retinere, haereditates sibi delatas de venia suorum Superiorum adire, nonnullos contractus agere, et tam inter vivos, quam mortis causa de acquisitis rebus disponere, prout videre est in Indulto S. Poenitentiariae pro Religiosis Italiae nostro tempore de claustris dejectis. In quo Indulto salva temper est voti paupertatis observantia, quia eis amplius agere non licet, nisi quod a Pontifice permissum

est et cum veniâ Superiorum. Indultum est sequentis tenoris: — « Plurimi Locorum Ordinarii, » ac Religiosorum Ordinum, Congregationum, et » Institutorum Moderatores noscentes quòt, et » quantae conscientiarum angustiae, ac animarum » pericula obventura sint ex infandis legibus a » laica potestate in Italia nuper sancitis, quibus » Ecclesiae jura proteruntur, Regulares utriusque » sexus propriis bonis expoliantur, et ex claustris » exturbantur, ad Apostolicam Sedem confugerunt » petentes tutam agendi normam, ac salubria remedia, quibus gregi sibi commisso consulere » possint. Hujusmodi autem postulationes a SSmò » Dño Pio PP. IX huic S. Poenitentiariae commissae fuerunt ea mente, ut iisdem Locorum » Ordinariis, ac praefatis Moderatoribus eas communicaret declarationes ac facultates, quibus, » quantum in tanta temporum iniquitate fas est, » malis ingruentibus occurri possit. — Quare S. » Poenitentiaria mandatis SSmì Dñi libentissime » obsequens de speciali et expressa Apostolica Auctoritate omnibus et singulis Locorum Ordinariis, quorum Territoriis jugum praefatarum legum impositum fuerit, ac Religiosis Viris Superioribus Generalibus cujuscumque Ordinis, » Congregationis, et Instituti, cui suppressionis lex » indicta fuerit, sequentes communicat Declarationes, ac concedit Facultates, quibus ad annum, » si tamdiu iniquae temporum circumstantiae perduraverint, cum suis respectivis Subditis uti li-

» cite ac libere valeant. — Declarat primo non » esse relinquenda Monasteria, ac domos religiosas » nisi adsit coactio, et proximum periculum violentiae, et a Superioribus, quatenus expedire videatur, praemittendam esse protestationem. — » Secundo maximo studio ac animi constantia esse » custodiendam legem clausurae contra eos, qui » illam, sprete Ecclesiasticis Censuris, violare non » reformidant; verum permitti Ordinariis Monasteriorum, ut eandem legem facili ratione relaxare » valeant favore Monialium ad eas liberandas a quibuscumque anxietatibus in casibus, in quibus » Gubernii Officiales, et Legis executores clausuram ad inventaria conficienda, aliosque actus civiles peragendos violenter intrare minitentur, » adhibitis tamen per eosdem Ordinarios omnibus cautelis, quae prudentia ac rerum adjuncta suggesterint ac praevia protestatione sive per eosdem » Ordinarios, sive per ipsas Moniales facienda meliori modo quo potest, et qua declaretur se cedere violentiae. — Tertio licere Regularibus utriusque sexus suppressis titulo compensationis pro damnis illatis sibi a Gubernio debitae percipere pensiones ab eodem Gubernio assignatas; » ea tamen lege, ut quamdiu in Communione cum aliis Regularibus vixerint pensionem apud Superiores suos pro bono totius communitatis deponere teneantur. — Quarto ad evitanda gravia damna, et ne Regulares utriusque sexus incurrant periculum amittendi eandem pensionem to-

» lerari, ut inventaria rerum, ac status Monaste-
 » riorum conficere, et subscribere valeant, ita co-
 » gente eodem Gubernio, et praevia protestatione
 » facienda pariter meliori modo quo potest, et qua
 » declaretur se cedere coactioni, nulloque modo
 » cooperari pravis ipsius Gubernii intentionibus:
 » Verum caute ac prudenter curandum esse ut res
 » Monasteriorum ac praesertim supellectiles, ac
 » vasa sacra a direptione subtrahantur. — Quinto
 » curandum esse pro viribus, ut Regulares expulsi
 » a propriis Conventibus in alios Conventus col-
 » locentur ac recipiantur. — Sexto quatenus vero
 » Regulares expulsi praesertim ob defectum do-
 » morum alibi collocari nequeant, concurrentibus
 » gravibus, justisque causis, super quibus con-
 » scientia Superioris Generalis graviter onerata re-
 » maneat, ipse Superior Generalis Apostolica Au-
 » ctoritate eisdem indulgere poterit, ut manere va-
 » leant extra claustra sub obedientia Ordinarii Loci
 » tamquam saecularizati ad tempus et ad nutum
 » S. Sedis ac ipsius Superioris et in habitu Re-
 » ligioso, ac etiam quatenus ita ferat necessitas,
 » in habitu Presbyteri Saecularis quoad Sacer-
 » dotes, et in habitu laicali modesti coloris quoad
 » Laicos, seu Conversos, retento tamen interius
 » aliquo signo habitus Religiosi, servatis quantum
 » fieri potest substantialibus votorum, ac relaxatis
 » regulis, quae cum novo eorum statu minime
 » fuerint compatibles. — Septimo: Quoad vero
 » Moniales, quae propria Monasteria deserere co-

» guntur, curandum esse pro viribus per illarum
 » Ordinarios, ut alium Monasterium sui Ordinis,
 » sive aliam domum a respectivo Ordinario desi-
 » gnandam ingredients ab invicem non separen-
 » tur, sed vivant simul in unum collectae et regu-
 » lam, quam professae sunt, quantum fieri potest,
 » observare non omittant. Quod si id obtineri ne-
 » queat, et Moniales cogantur ingredi Monasteria
 » diversi Ordinis, Ordinarius Monasteriorum a qui-
 » bus, et ad quae ipsae Moniales transferantur,
 » Apostolica Auctoritate indulgere poterit, ut dictae
 » Moniales in Monasteria designata recipi, in iisque
 » manere, seque regulis ibi existentibus dispen-
 » sando super regulis proprii Ordinis, easque mo-
 » derando accomodare licite valeant, monitis eo-
 » rumdem Monasteriorum Superioribus, ceterisque
 » personis, ut illas, qua par est charitate susci-
 » piant, atque pertractent. Si vero aliquae ex dictis
 » Monialibus justis de causis per Ordinarium exa-
 » minandis in Monasterium seu domum novae col-
 » locationis se recipere nequeant, Ordinarius iisdem
 » Monialibus indulgere poterit, ut extra sui Mo-
 » nasterii claustra in habitu decenti, retento tamen
 » interius aliquo signo religiosi habitus, apud suos
 » consanguineos vel honestas Matronas, firmo voto
 » castitatis, et servatis substantialibus aliorum vo-
 » torum quantum respective ad votum paupertatis
 » et similia in eo statu commode fieri potest, adim-
 » pletisque quotidie aliquibus pietatis operibus et
 » piis precibus etiam loco recitationis Horarum

» Canoniarum ab eodem Ordinario discrete prae-
 » scribendis sub obedientia Ordinarii, in cujus
 » Dioecesi commorabuntur, ad beneplacitum S.
 » Sedis vivere ac remanere licite valeant. — Octavo
 » de speciali Indulto permitti Regularibus expulsis,
 » ut de intelligentia Ordinarii Loci, ac respectivi
 » Superioris Generalis inter se dividere, et pro suis
 » necessitatibus, applicare valeant pecunias in
 » capsula communi fortasse existentes nec non su-
 » plectiles domesticas, aut alias res usu consum-
 » ptibiles, sub lege tamen, ut si ad Claustra re-
 » dierint, et pecunias et alias res non consumpse-
 » rint, eas Superioribus restituere teneantur. —
 » Nono: Facultatem concedit indulgendi Regula-
 » ribus, ut bona propriae Religionis, Congrega-
 » tionis seu Instituti a Gubernio occupata in ad-
 » ministrationem suscipere, et etiam conducere
 » valeant, dummodo id cedat in sui Ordinis, Con-
 » gregationis seu Instituti utilitatem, et absit scan-
 » dalum. — Decimo: Similiter facultatem concedit,
 » ut bona quaecumque proprii Ordinis, Congrega-
 » tionis, seu Instituti a Gubernio usurpata acqui-
 » rere valeant per interpositas personas quascum-
 » que etiam religiosas, sibi morum integritate, ac
 » fide probatas, quae per syngrapham bonae fidei
 » caute custodiendam declarent emptionem licet
 » proprio nomine factam, attamen perfecisse pe-
 » cuniis et favore Ordinis, Congregationis seu In-
 » stituti, ad quod eadem bona de jure pertinent,
 » aliisque adhibitis cautelis in casu necessariis et

» opportunis, et sub conditione adimplendi pia
 » onera forsitan dictis bonis adnexa, quatenus aliun-
 » de non adimpleantur ac remoto scandalo. — Ce-
 » terum in concedendis Indultis pro recensitis con-
 » tractibus sive administrationis, sive conductionis,
 » aut emptionis bonorum ecclesiasticorum tum
 » Locorum Ordinarii, tum Superiores Generales de
 » mutua intelligentia, quantum fieri poterit, pro-
 » cedere non omittant. — Contrariis quibuscumque
 » etiam speciali mentione dignis non obstantibus. —
 » Datum Romae in S. Poenitentiarum die 28 Ju-
 » nii 1866. » — Ad tollenda vero alia superve-
 » nientia dubia editae sunt litterae sequentes. —
 » Quamvis per Literas die 28 Junii anni proxime
 » elapsi datas, a S. Poenitentiarum plures editae
 » fuerint declarationes, atque concessae facultates,
 » quibus utriusque sexus Regulares in tota ferme
 » Italia degentes ab angustiis, et calamitatibus, in
 » quas ob suppressionis legem conjecti sunt, aliquo
 » modo levari possent: compertum tamen est, alias
 » inde ortas esse animorum anxietates, aliasque
 » enatas necessitates, quibus non nisi Apostolica
 » Auctoritate occurri potest. Cum enim praefati
 » Regulares propriis domibus exturbati, hac illac,
 » votis solemnibus obstricti, peregrinari cogantur,
 » multis agitantur dubiis circa obedientiam pro-
 » priis Superioribus, et locorum Ordinariis debi-
 » tam. Accedunt non leves animi perplexitates
 » circa privilegia, ac bona spiritualia, quibus in
 » religiosis claustris abunde fruebantur. Tandem

» bonis omnibus expoliati in misero, quo versan-
 » tur, statu facilem non vident rationem, qua suis
 » necessitatibus consulere possint. — Quapropter
 » SS^mus Dominus Noster Pius PP. IX, tot Re-
 » gularium utriusque sexus calamitates commise-
 » rans, mandavit, ut S. Poenitentiarum novis de-
 » clarationibus, novisque Apostolicis gratiis ipsis
 » Regularibus subsidio veniret. — Sacra itaque
 » Poenitentiarum mandatis Sanctitatis Suae liben-
 » tissime obsequens haec, quae sequuntur, decer-
 » nit. — I Curandum est, prout jam monitum fuit
 » quoad Moniales in praefatis Literis *diei 28 Ju-*
 » *nii 1866 sub n.º 7º*, ut Regulares a propriis
 » domibus expulsi, praesertim vero Clerici pro-
 » fessi, quatenus in aliud coenobium recipi ne-
 » queant, in peculiarem aliquam domum, a Supe-
 » rioribus suis designandam, convenient, ibique
 » regulam, quam professi sunt meliori, quo fieri
 » potest modo observare non omittant, facta cui-
 » que, absque debita licentia, discedendi prohibi-
 » tione. — II Pariter curandum, ut etiam Regu-
 » lares, qui extra claustra, et praefatas domos,
 » tamquam saecularizati ad tempus, vivere co-
 » guntur, in sua vocatione permaneant votaque
 » solemnia, quibus se Deo consecrarunt, meliori
 » similiter, quo fieri possit modo, persolvant. Unde
 » omnibus Superioribus Regularibus S. Poeniten-
 » tiaria declarat, ipsorum jurisdictionem in pro-
 » prios subditos suppressos, etiam extra claustra
 » degentes, minime cessasse. Nam licet quisque

» Regularis degens extra claustra quoad politiam,
 » et disciplinam ecclesiasticam ab jurisdictione Or-
 » dinarii loci, in quo degit, exemptus non sit, at-
 » tamen quoad disciplinam regularem, et obliga-
 » tiones, quae ex religiosa Professione promanant,
 » et cum novo ejus statu sunt compatibles, pro-
 » priis Superioribus subesse, eisque obedire te-
 » netur. — III Decernit, praefatas domos, dum-
 » modo in eas tres saltem, ad ibi degendum, con-
 » venerint Regulares, quorum unus ad minus sit
 » Sacerdos, jurisdictioni Ministri Provincialis fore
 » subjectas, easque regendas esse per peculiarem
 » Superiorem ibi constituendum. — IV Indulget,
 » ut in iisdem domibus, dummodo in eis quatuor
 » saltem degant Sacerdotes Regulares, erigi possit,
 » servatis de jure servandis, privatum Oratorium,
 » a Ministro Provinciali, sive ab alia idonea Per-
 » sona, ab eo deputanda, visitandum prius, et ap-
 » probandum, ita, ut in eo Missa a Sacerdotibus
 » Regularibus celebrari, SS^{ma} Eucharistia asser-
 » vari, et a Religiosis, atque Oblatis dumtaxat
 » S. Communio sumi, et praecepto de audiendo
 » Sacro satisfieri possit. — V Indulget pariter, ut
 » in Oratoriis sic erectis ipsi Regulares frui pos-
 » sint omnibus, et quibuscumque SS. Indulgentiis
 » concessis et assignatis domibus seu Ecclesiis, a
 » quibus exturbati fuerunt; juxta tamen formam
 » et juxta tempus in concessionibus et indultis
 » Apostolicis expressum ac definitum; ita tamen,
 » ut memoratae Indulgentiae in ipsius Ordinis Ec-

» clesiis, quibus affixae, et assignatae fuerunt,
 » quandiu iisdem Ecclesiis aliquis Sacerdos ejus-
 » dem Ordinis legitima auctoritate praepositus
 » fuerit, perdurare, ut antea, omnino censean-
 » tur. — VI Declarat insuper, Superioribus Re-
 » gularibus integra manere privilegia, quibus ha-
 » ctenus quoad peculiare proprii Ordinis benedi-
 » ctiones usi sunt, ac similiter integras omnibus
 » et singulis Regularibus utriusque sexus, etiam
 » in saeculo de legitima licentia viventibus, ma-
 » nere SS. Indulgentias personales a S. Sede eis-
 » dem concessas, et non revocatas. — VII Mu-
 » lieres vero Regulares a propriis claustris expul-
 » sas, quantumvis exemptas, et etiam in novas
 » domos juxta Literas 28 Junii 1866 translatas,
 » decernit, jurisdictioni Ordinarii Loci, in quo
 » commorantur, omnino subesse. — VIII Ordina-
 » riis autem Locorum facultatem concedit, iisdem
 » Mulieribus Regularibus in novis domibus com-
 » morantibus Indultum Oratorii privati pro sua
 » prudentia impertiendi, adeo ut, servatis de jure
 » servandis, Missa in ipso Oratorio quotidie cele-
 » brari et SS^{ma} Eucharistia asservari possit, ibi-
 » que ipsae Religiosae, Conversae, Novitiae, et
 » Educandae, si quae sint, aliaeque Mulieres iis-
 » dem domibus addictae, praeter Missae inser-
 » vientem, S. Communionem refici, ac praecepto de
 » audiendo Sacro satisfacere valeant. — IX Ipsi
 » praetera Mulieribus Regularibus concedit privi-
 » legium, ut supra sub n.º V Religiosis viris im-

» pertitum; fruendi scilicet in memoratis Oratoriis
 » omnibus, et quibuscumque SS. Indulgentiis,
 » quae Ecclesiae, seu Monasterio, a quo expulsae
 » fuerunt, affixae aut assignatae erant. — X De-
 » clarat, ac decernit, Regularibus suppressis, etiam
 » extra praefatas domos degentibus licere persol-
 » vere horas canonicas juxta proprii Ordinis Ca-
 » lendarium, et non obstante defectu tituli sacri,
 » suos Ordines exercere, Missamque in quacumque
 » Ecclesia, de licentia Ordinarii loci, celebrare
 » juxta ritum Ecclesiae, in qua celebrare conti-
 » gerit; servato tamen proprii Ordinis ritu, si ce-
 » lebrent in propria Ecclesia, cujus custodia alicui
 » saltem ex suis Confratribus legitime demandata
 » sit, aut in aliquo ex praefatis sui Ordinis Ora-
 » toriis. — XI Declarat insuper, nihil ob stare, quo-
 » minus ipsi Regulares suppressi uti valeant fa-
 » cultate sibi jam ab Ordinario loci concessa, au-
 » diendi sacramentales Christifidelium Confessio-
 » nes; dummodo tamen eadem facultas expirata,
 » aut ab ipso Ordinario revocata non fuerit, ac
 » dummodo ea utantur iis tantum in locis, pro
 » quibus approbati fuerunt. — XII Superioribus
 » tum Generalibus, tum Provincialibus facultatem
 » concedit, sive per se, sive per alios idoneos Viros
 » Religiosos, ab ipsis deputandos, indulgendi Re-
 » gularibus sui Ordinis suppressis, ut, durantibus
 » praesentium temporum circumstantiis, quem-
 » cumque sive Regularem, sive Saecularem, ex
 » approbatis tamen ab Ordinario loci, Confessa-

6^o
 integra manere
 privilegia

4^o
 mulieres
 expul-
 sas
 in novas
 domos

8^o
 Indultum
 Oratorii
 privati

9^o
 privilegium
 ut supra
 sub n.º V
 Religiosis
 viris im-

10^o
 Regularibus
 suppressis,
 etiam
 extra
 domos

11^o
 Confessio-
 nes

12^o
 Superioribus
 Generalibus
 et Provincialibus
 facultatem
 concedit

» rium sibi eligere valeant, a quo etiam, quatenus
 » opus sit, a casibus, et censuris in proprio Or-
 » dine reservatis absolvi, et super irregularitate,
 » ex violatione earumdem censurarum quomodo-
 » cumque contracta, dummodo occulta remaneat,
 » dispensationis gratiam recipere in foro tantum
 » conscientiae possint. — XIII Declarat insuper,
 » quibuscumque Regularibus suppressis, sive in
 » aliqua domo, prout n. 1° commorantibus, sive
 » extra domos Religiosas tamquam saecularizatis
 » ad tempus degentibus licere Confessiones suas
 » sacramentales apud Confessarios proprii Ordinis,
 » legitime a suo Prelato approbatos, peragere. —
 » XIV Iisdem Superioribus Generalibus indulget,
 » ut, perdurantibus pariter praesentium temporum
 » circumstantiis, et usque dum aliter S. Sedi visum
 » fuerit, expleto Superiorum inferiorum officio, eos
 » de consilio Definitorum suorum in ipso denuo
 » confirmare, iisdemque alios substituere valeant,
 » prout magis in Domino expedire judicaverint. —
 » XV Clericis Regularibus jam solemniter professis
 » concedit, ut ad titulum paupertatis, aut ad alium
 » titulum proprii Instituti ad SS. Ordines ab Or-
 » dinario Loci, in quo domicilium habent, aut ab
 » alio Episcopo cum dimissoriis literis ab eo datis,
 » de consensu proprii Superioris Regularis, et ser-
 » vatis de jure servandis, promoveri, et in Ordi-
 » nibus sic promoti ministrare valeant, donec a
 » proprio Ordine seu Instituto legitima ex causa
 » dimissi non fuerint. — XVI Concedit pariter Re-

» gularibus solemniter Professis, ut Capellanas,
 » aut unum dumtaxat Beneficium Ecclesiasticum,
 » etiam residentiale, vel cum cura animarum de
 » consensu, et ad nutum Ordinarii Loci, ac an-
 » nuentibus Superioribus suis, in administratio-
 » nem assequi, et retinere legitime possint, quod
 » tamen dimittere teneantur statim ac ab iisdem
 » Superioribus ad claustra revocati fuerint. —
 » XVII Facultatem concedit locorum Ordinariis
 » quoad Moniales, et Superioribus Generalibus
 » quoad Viros Regulares, indulgendi sive per se,
 » sive per idoneas personas ab eis subdelegandas
 » respectivis subditis in Italia suppressis, ut, at-
 » tentis peculiaribus circumstantiis, iisque perdu-
 » rantibus, non obstante solemnī paupertatis voto,
 » bona sibi legitimo jure spectantia, ac etiam he-
 » reditates, salvo tamen jure tertii quaesito, re-
 » cipere, adire, ac retinere, deque iis nedum con-
 » tractus inire, sed etiam in pios, honestosque usus,
 » ac praesertim in favorem sui Ordinis, aut Insti-
 » tuti, nec non in grati animi significationem per
 » actus sive inter vivos, sive causa mortis dispo-
 » nere valeant, accedente ipsius Ordinarii, aut Su-
 » perioris, vel alterius per eum Deputati, aut sal-
 » tem, in casu necessitatis, Confessarii consilio,
 » et approbatione; ita tamen, ut rerum suarum
 » administrationem ac redditus, quamdiu vixerint
 » in Communitate, quae temporalia bona possidere
 » possit, eidem Communitati tradere et quidquid

» ex bonis propriae Religionis eisdem provenerit,
 » ipsi Religioni, adhibitis cautelis, relinquere te-
 » neantur. Quod si Communitas sit ex iis, quibus
 » possessio bonorum temporalium permissa non
 » sit, administrationem hoc in casu committant
 » alicui tertiae personae ita, ut absque licentia
 » Ordinarii aut Superiorum nihil de fructibus sibi
 » applicare, aut quocumque modo disponere pos-
 » sint. — XVIII Omnibus et singulis utriusque
 » sexus Regularibus suppressis indulget, ut pecu-
 » nias legitimo titulo acquisitas de licentia Supe-
 » riorum suorum, et, quatenus agatur de Monia-
 » libus, de licentia Ordinarii Loci, in honesto et
 » licito investimento, sive nomine proprio, sive per
 » interpositas Personas caute collocare possint; ea
 » tamen lege, ut Regulares in Communitate vi-
 » ventes titulos ac redditus earundem pecuniarum
 » eidem Communitati, aut alicui tertiae personae,
 » ut supra, tradere teneantur, neque de iis pariter
 » ullo modo absque licentia eorumdem Superio-
 » rum, aut ipsius Ordinarii disponere valeant. —
 » XIX Declarat denique praemissa censenda esse
 » concessa sine ullo praepjudicio cujuscumque ge-
 » neralis seu specialis Indulti alicui Ordini, seu
 » personae a S. Sede impertiti, iisdemque prae-
 » missis cujuscumque Ordinis, Congregationis, et
 » Instituti Constitutiones, ac caetera quaecumque,
 » etiam speciali mentione digna, in contrarium fa-
 » cientia, minime obstare. — Datum Romae in

» S. Poenitentiaria die 18 Aprilis 1867. — A. M.
 » Card. Panebianco M. P. — L. Peirano S. P.
 » Secretarius. »

5.º Aliquando ex mutatis conditionibus Re-
 ligiosorum per regulare indultum S. Sedis, aut
 per aliquem ejus actum, observantia voti pauper-
 tatis nequit eadem manere. Quid enim si habitum
 sit indultum saecularizationis? vel si Regularis
 factus sit Episcopus? Porro indulta haec saecula-
 rizationis possunt dari vel *ad tempus*, vel *in per-
 petuum*. Si datur indultum saecularizationis ad
 tempus, tunc vix est quod gravis inducatur va-
 riatio in regimine vitae Regularis, nam huic con-
 ceditur simpliciter ut sibi provideat quod est ne-
 cessarium ad honestam sui tuitionem, et vivat sub
 Episcopi Dioecesani jurisdictione pro toto eo tem-
 pore, quo extra Conventum manet, ad quem Con-
 ventum pertinent bona a Religioso congregata. In
 talibus indultis solent apponi duae clausulae. Pri-
 ma est: « ut Ordinario subjaceant *in vim etiam*
 » voti solemnisi obedientiae. » Ex qua clausula de-
 ducitur, quod Ordinarius habet in eos et auctori-
 tativam et dominativam potestatem. Alia clausula
 respicit habitum, quem si in Religione singularem
 habent, ejus debent subter vestes saeculares ali-
 quam gestare partem. Sed cum datur indultum
 perpetuae saecularizationis, etsi hoc sit ejusdem
 tenoris ac indultum saecularizationis temporanae,
 nihilominus ad petitionem Religiosi additur indul-
 tum facultatis disponendi de bonis ab ipso legitime

acquisitis, et indultum habendi beneficia. Ex adjuncto primo indulto Religiosus valet inter vivos et mortis causa disponere de rebus suis; et ex altero indulto consequi beneficia etiam in titulum; cum si hoc concessum non fuisset, valeret ad summum eadem beneficia consequi in precariam administrationem et exercitium. Unde dicitur voti paupertatis observantia moderata juxta novae conditionis circumstantias; seu, ut loquitur indultum, debet salva esse tantum in *substantialibus* observantia voti paupertatis. Religiosus autem factus Episcopus non desinit esse Religiosus sed sicut caetera vota ita tenetur paupertatem servare impotens dominii rerum acquirendi, quod tamen acquirit Ecclesiae, cum antea Monasterio acquireret nec valens de istis disponere, nisi indultum speciale a S. Sede habuerit; ob exigentiam vero status Episcopalis multo latiore habet usum bonorum temporalium; sicut per votum obedientiae ipse subjacet Pontifici, et non suo Superiori Regulari. Haec pariter servanda esse a Religiosis auctis Cardinalitia dignitate pluribus probat Bouix *op. cit.*° *part. quinta sect. 1^a cap. 8.*°

6.° Quid importet observantia duorum aliorum votorum, nempe castitatis et obedientiae, communiter a jure et a Doctoribus traditur. Castitas enim, quae ante votum, ut habet Ferraris *v. votum art. 2.*° cum Doctoribus, ad solam virtutem temperantiae pertinebat, post votum emissum pertinet etiam ad virtutem Religionis, et sic violatio casti-

tatis in Regularibus duplicem habet malitiam specificam, nempe luxuriae contra castitatem, et sacrilegii contra Religionem; quod votum interdicit quodcumque conjugium. In hoc observantia eadem est si sint vota solemnia vel simplicia. Differentia tantum est quoad validitatem actuum; cum enim votum solenne castitatis irritet anteriora sponsalia, et antecedens matrimonium ratum, id non praestatur a votis simplicibus; et cum matrimonium desuper factum sit illicitum editis votis simplicibus, est quoque invalidum editis solemnibus; sponsalia vero posteriora sunt invalida utpote promissiones inhonestae in utrisque votis. — Obedientiae pariter observatio eadem est in utrisque votis. — In modernis quibusdam Institutis Mulierum cum votis simplicibus observantia voti obedientiae multum indidcrete fuit exacta, cum ex eo quod in Constitutionibus scriptum esset debere subditas manifestare Superiorissis propriam conscientiam, istae exigebant non modo manifestationem oralem vel in scriptis publicarum transgressionum regulae vel profectum in virtutibus, sed manifestationem quoque tentationum et secretorum conscientiae, quae Sacramentali Confessione reservantur. Exinde factum ut in Institutis probandis et Constitutionibus S. Congregatio Episcoporum et Regularium, ut notatur in *Collectanea pag. 832*, « ob abusus, qui » irrepererunt, in praesens minime solet approbare » aperitionem conscientiae Superiorissae, sed tantum permittitur, ut Sorores si velint, pandere

» possint defectus in regulae observantia, et progressus quoad virtutes: de aliis enim ab eis agendum est cum proprio Confessario. » In Institutis vero jamdiu probatis, si nimis indiscreta interpretatio huic articulo detur, eadem S. Congregatio requisita vel admonita verum sensum aperit prohibens hanc secretorum manifestationem, et hanc non justam dependentiam subditarum a Superioribus in negotiis, quae prudenti Confessariorum judicio relinquenda sunt.

7.º Verum Ecclesia istorum votorum, quando sunt solemnia, observantiam communivit speciali sanctione indicens legem clausurae. Haec lex clausurae praecepto ecclesiastico imposita respicit tum caenobia virorum Religiosorum, tum Sanctimonialium mansiones, sed diverso omnino modo utraque personas attingit, de quibus speciatim loquimur. Haec lex importat, ut nec Regulares a sua domo vel ambitu clauso exire indiscriminatim valeant, vel extraneae personae illuc induci aut pervenire indiscriminatim seu absque licentia. — Clausurae autem nomine venit totum illud spatium, quod intra septa Monasterii aut Conventus continetur, id est Cellae, Officinae, Caenaculum, Dormitorium, Infirmaria, Coquina et hujusmodi alia: itemque viridaria seu horti et prata cum Conventu et clausura conjuncta; nec non Sacristia, siquidem ad eam non pateat aditus nisi per januam, quae sit in claustro: sylvae etiam si intra septa contineantur sub clausura comprehenduntur. Monaste-

rii tamen tectum extra clausuram reperiri definitum est. Quae omnia loca muro aliaque modo circumscribi ordinario solent; at si penitus vallata non sint, nihilominus sub clausurae nomine veniunt. Quo posito prius de clausura Monialium verba faciemus. — Attenta praesenti Ecclesiae disciplina clausurae observantia adeo connexa est cum vero proprieque dicto statu Sanctimonialium, ut quamvis extare possit cum clausura Pontificia Monasterium, in quo vota nuncupentur simplicia tantummodo, prout in *Policastrensi diei 6 Decembris 1839 Collectanea pag. 96*, nequeat tamen consistere vicissim Monasterium cum solemnibus votis, quin ibidem obtineat Pontificia clausura. Quod demonstrari videtur ex indubia ac invariabili praxi S. Congregationis EE. et RR. quae Monialium instituta ad solemnium votorum Professionem admittere non solet, nisi conditione adiecta, ut in earumdem domibus perfecta clausura Pontificia asservetur, prouti patet ex resolutionibus editis in *Ravennaten. 6 Decembr. 1839, Januen. super approb. mon. 13 Januar. 1841, et Regien. votorum et clausurae 13 Januar. 1843*. Haec imo doctrina adeo explorata hodie censetur, ut eo ipso quod in aliquo Monasterio Pontificia clausura non inveniatur, statim infertur vota, quae ibidem emittuntur, non solemnia, sed simplicia tantummodo esse debere. Neque tandem praetereundum est, quod, cum paucis abhinc annis dubium exortum fuisset circa qualitatem votorum, quae emittebantur in

quibusdam Americae Monasteriis, mature ac cum gravi doctrinae et eruditionis apparatu articulum perpenderunt duo Sac. Congregationis Consultores in diversam abeuntes sententiam; sed particularis EE., et RR. Cardinalium Congregatio a SSmo D. N. specialiter deputata adhaerere visa est sententiae, quae tenet, Moniales ad Professionem votorum solemnum ab Apostolica Sede admissas, servare debere clausuram Pontificiam, nisi specialiter ab hac clausurae lege dispensatae fuerint. — Clausurae lex pro Monialibus primitus inducta est a Bonifacio VIII prout ex *cap. unic. h. t.º in VI*. Nam licet in antiquis canonibus multa sint hujus clausurae praecepta, nullibi tamen erat absolute injuncta, sed dependenter fere a legitima facultate Abbatissae. Quae lex, cum multis in locis aut non fuisset in praxim deducta, vel tractu temporis in desuetudinem abiisset, fuit renovata a Concilio Tridentino *sess. 25 cap. 5º de regularibus*, et confirmata a Pio V Constitutione « *Decori et honestati* » diei 1 Februarii 1569, a Gregorio XIII Constitutione « *Deo Sacris* » diei 31 Decembris 1572, et alia « *Ubi gratiae* » idibus Junii 1575; et inter alios Pontifices a Benedicto XIV Constitutione « *Salutare* » diei 11 Januarii 1742. Constitutionum haec summa est. — (a) Lex clausurae Monialium importat, ut Monialis nulla post Professionem valeat exire de Monasterio etiam ad breve tempus quocumque pretexto nisi in casibus a jure contemplatis et modo pariter a jure praescripto, vel

ex licentia Apostolica; et nemini pariter extraneo ingredi in Monasterium vel clausuram liceat nisi obtenta legitima licentia. — (b) Clausurae custos est Episcopus loci Ordinarius, qui ex praecepto Concilii Tridentini dato sub obtestatione divini iudicii et interminatione maledictionis aeternae in omnibus Monasteriis sibi subjectis ordinaria, in aliis vero Sedis Apostolicae Auctoritate clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari maxime procurabit, inobedientes atque contradictores per censuras ecclesiasticas aliasque poenas quacumque appellatione postposita compescens, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. — (c) Hodie autem vix est regio, in qua valeat cum effectu invocari brachii saecularis auxilium, sed benignissimus Deus providit, ut Ecclesia hoc non egeret propter acquiescentiam subditorum ad leges ecclesiasticas. — Quo vero ad censuras in contrafacientes latas hodie attendenda est Constitutio « *Apostolicae Sedis moderationi* » pluries citata, quae inter excommunicationes latae sententiae Romano Pontifici reservatas hanc habet sub *num.º VI*. « *Violantes clausuram Monialium, cujuscumque generis aut conditionis, sexus, vel aetatis fuerint in earum Monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes; itemque Moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V in Constitutione « *Decori* » praescriptam.* » — Dico quoad

censuras, manent enim aliae poenae in dictis Bullis indicatae, nempe privatio dignitatum, officiorum, et administrationum ipso facto, et inhabilitas ad ea et alia in posterum obtinenda. Interpretatio hujus articuli haec esse videtur: — 1° ut includat quascumque personas etiam in infanti aetate constitutas, quatenus eos introducentes vel admittentes tali censura mulctentur, prout jam antecedentibus decretis erat statutum. — 2° Ad actus inculpabilitatem et exemptionem a censuris requiritur licentia ingressus legitima, quocumque tandem modo ea concedatur; unde non est necessarium saltem ad evitandam censuram, ut ea detur in scriptis ad formam decreti Concilii Tridentini, et articulus nihil innovat quoad personas, quae legitime valent hanc licentiam concedere. — 3° Quoad Moniales violantes clausuram omnes casus sive a Constitutionibus Apostolicis sive a decisionibus SS. Congregationi contemplati admittuntur, qui inter alios Doctores a Ferraris *v. Moniales art.° 3°* referuntur. — 4° Circa liceitatem egressus standum ad casus et formam Constitutionis Pii V « *Decori.* » Porro forma est, quod habeatur praeter rationabilitatem causae licentia Episcopi in scriptis data, seu cujusque loci Ordinarii, etiamsi praedicta Monasteria ab Episcoporum et Ordinariorum jurisdictione exempta esse reperiantur, praeter licentiam aliorum Superiorum Ordinum, quibus cura Monasteriorum incumbit, si tamen licentia haec haberi possit et periculum non sit in mora, ut in magno in-

condio. At casus, juxta sententiam communem Doctorum, non sunt tantum tres notati in Constitutione Pii V, nempe *incendii, infirmitatis leprae, vel epidemiae*, sed etiam et alii tribus praedictis consimiles, et aequae aut magis graves, ut imminens bellum, inundatio fluminis, ruina aedificii, in quibus permissus est egressus, et Doctores conveniunt apud Ferraris *loc. cit.°*, atque puto ab articulo citato admitti. — 5° Istae autem censurae incurruntur in violatione clausurae, quae Monialibus praescripta est vota solemnibus emittentibus, de quibus sermo habetur in Concilio Tridentino *sess. 25 cap. 6°* et in Constitutione Pii V; non autem in violatione clausurae, quae domibus piarum mulierum in communitate viventium et vota simplicia emittentium imponitur sive ab Episcopis, sive vi suarum Constitutionum, sive etiam vi voti specialis, prout habetur etiam ex decisione *die 1^a Augusti 1839* edita a S. Congregatione Episcoporum et Regularium relata a Lucidi *op. cit.° vol. 2° pag. 310*; etsi in violatione talis clausurae possit incurri censura ab Episcopo fortasse comminata.

8° Clausurae lex viris Religiosis imposita eos pariter respicit et extraneos. Sed quoad Religiosos lex clausurae *primo* importat, ut ipsi nequeant a claustro egredi nisi habita licentia a Superiore, sub cujus potestate sunt, nempe gubernio, custodia et dependentia; atque haec obligatio non exeundi absque licentia per se et in genere suo

*De clausura
virorum
q. o. sola de
12 consuet.
de iur. iur.
mulierum*

est gravis, quamvis dari possint casus, in quibus peccatum sit leve ob parvitatem materiae. — Sed *secundo* haec lex prohibet ne foeminae admittantur. Quam quidem prohibitionem antiqui etiam canones ediderant in *can. placuit, can. juxta* et *can. Monachi causae 16 quaest. 1^a* et *can. pervenit caus. 18 quaest. 2^a*; sed non deerant concessionem et indulta, quibus permittebatur mulieribus ingressus in virorum Monasteriis. At Pius V in Constitutione « *Regularium Personarum* » anni 1566 dictas licentias revocavit, simulque decrevit excommunicationis poenam ipso facto incurrendam in mulieres sub privilegiorum pretextu clausuram Religiosorum ingredienti, quam censuram etiam incurrunt, etsi absque hoc praetextu ingrediantur, ut constat ex Constitutione « *Apostolicae Sedis* » in qua inter Excommunicationes latae sententiae Summo Pontifici reservatas sub *art.º VII* haec notatur: « *Mulieres violantes Regularium virorum* » clausuram et Superiores aliosque eas admittentes. » Circa quem articulum notanda sunt sequentia: — (x) Juxta Pirhing *num.º 45 h. t.º* in Bullis Pontificum non comprehendebantur Imperatrices, et Reginae earumque filiae, et aliae foeminae quaecumque, quae illas comitarentur, proinde videtur haec exceptio mansisse in dicta Constitutione, in qua non est sermo de ingressu, sed de violatione clausurae, quam illae ingrediendo non violabant utpote in decretis non comprehensae. Quemadmodum non comprehenduntur aliae foe-

minae indultum Apostolicum habentes in forma legitima ostensum Ordinariis, ut habet Benedictus XIV Constitutione « *Regularis disciplinae* » diei 3 Januarii 1742. — (β) Nomine Religiosorum admittentium veniunt omnes Religiosi active influentes in talem ingressum mulierum, ut sunt invitantes, consulentes, hortantes, januam aperientes, recipientes, reducentes, permissionem auctoritative concedentes etc., prout docet Ferraris *v. Conventus art.º 3º num. 30*. — (γ) Qui omnes juxta Bullas Pontificum incurrebant ipso facto privationem officiorum suorum, inhabilitatem ad ipsa et suspensionem a divinis; hodie hanc non incurrunt, cum non sit relata in dicta Constitutione « *Apostolicae Sedis*, » sed loco ejus incurrunt excommunicationem Pontifici reservatam. Disputatur vero a Doctoribus, an alias supradictas poenas incurrant, et probabilior est sententia, quod illae utpote poenae maneant, quia de poenis laudata Constitutio non est locuta, nec loqui debebat. — (δ) Demum eadem animadversio facienda est, quae supra; nempe hic considerari domos Religiosorum, qui habent vota solemnia, de quibus praefatae Constitutiones Pontificiae locutae sunt, non vero domos Congregationum cum votis simplicibus.

TITULUS XXXVI.

De Religiosis domibus, ut Episcopo sint subjectae.

1.° Optime advertit Reiffenstuel *h. t.° num.° 2°*, quod quamvis generaliter et late loquendo nomine *Domus Religiosae* veniat omnis locus pius auctoritate Episcopi erectus sive consecratus sive non; proprie tamen et stricte ad propositum loquendo *Domus Religiosa* est locus pius non consecratus, auctoritate tamen Episcopi erectus, ut fert communis sententia fundata in *cap. 4 et cap. fin. h. t.°* Hinc talia habentur Monasteria, xenodochia, hospitales domus, Confraternitates, Congregationes et alia quaecumque loca ad charitatis, misericordiae, aut Religionis opera exercenda destinatae, dummodo Auctoritate Ecclesiastica fundatae sint; secus juxta *Glossam cap. 4 h. t.° v. Pontificis* erunt loca pia, sed non religiosa.

2.° Omnia haec loca Religiosa juxta regulam canonicam generalem Episcopo sunt subjecta, cujus jurisdictio totam Dioecesim complectitur, nisi ab Auctoritate Superiore Ecclesiastica haec loca fuerint ab Episcoporum jurisdictione per exemptionem subtracta. Id revera accidit de omnibus Religionibus; proinde hodie hanc ipsae invocant exemptionem *de jure communi*, et Monasteria ac Coenobia etsi in Dioecesi sint, de Dioecesi tamen non sunt, ut habet Fagnanus in *cap. 9 de his, quae fiunt a Praelatis num.° 35*. Istius exemptionis antiquissima sunt licet peculiaria indulta, quae probant, quam inepte Febronius aliique clamaverint exemptiones concessas esse a Pontificibus Romanis innixis Decretalibus Isidorianis. Cum enim istae saeculo nono Ecclesiae comparuerint, jam antiquiori aevo habemus plura Monasteria fuisse exemptione donata a S. Sede. Revera hoc jus donandae exemptionis in Ecclesia recognitum fuit quoque in Patriarchis, qui Crucem Patriarchalem figentes in fundatione Monasteriorum, quod a Graecis dicebatur *Patriarchale Stauropegium*, ea faciebant immunita a jurisdictione Episcoporum, in quorum Dioecesi erant fundata, et sibi solum reservabant. Cujus Pontificiae auctoritatis exempla habemus in Concilio Romano III anno 601 coacto, ut apud Mansi *Collect. Concil. tom. 10° column. 486*; aliaque habemus exempla Honorii I apud Zaccaria *Antifebr. p. 2° lib. 5° cap. 1° num. 6°*, et Joannis IV apud Mabillon *annal. Benedict.*

tom. 1° *append.* 2° num. 17, et 18 aliorumque Pontificum. Quod privilegium tunc temporis erat cuique Monasterio singulare; sed quando saeculo X haec coiverunt in Congregationes, aut Abbati generali veluti capiti subjecta, quod primo factum est in Congregatione Claniacensi, ut refert Bianchi *Dell'esterior disciplina della Chiesa lib. 2° cap. 2° § 5°*, tunc istud exemptionis privilegium coepit esse pluribus commune, donec Institutis posterioribus, Dominicanorum, Franciscanorum, aliorumque, ad formam Congregationis copulatis, hoc privilegium evasit omnium Regularium *commune jus*. — In qua re Romanis Pontificibus nec jus defuit, neque gravissimae causae. Romanus Pontifex quidem ex auctoritate, quam habet in universam Ecclesiam, si in assignandis subditis cuique Episcopo aliquos ab ejus eximit jurisdictione, sibi que subjicit, utitur jure suo ut Caput et Princeps Ecclesiae, et nihil est, cur quisquam de hac exemptione conqueratur. Sed et fuerunt gravissimae rationes, cur hanc exemptionem concederent. Ab Auctoribus quatuor assignantur, nempe: — 1^a Ne Regularium Congregationum unitas dissolveretur. — 2^a Ut fortiori vinculo particulares Ecclesiae Sedi Apostolicae tamquam centro unitatis devincirentur. — 3^a Ut conservaretur et promoveretur disciplina religiosa in iisdem Institutis. — 4^a Ut prospiceretur Religiosorum quieti, et ab ipsis gravamina arcerentur. — Quas rationes fuse inter alios exponit Bouix *oper. cit.° p. 4^a sect. 2^a cap. 2° § 3°*. Hae porro

5^o major auctoritas S. Sedi, tunc in auctoritate.

rationes non modo utilitatem, sed et necessitatem exhibent concedendarum exemptionum.

3.° Sed exemptio haec Regularium non est talis, ut ipsi numquam experiantur jurisdictionem Episcopalem; sunt enim plures casus, in quibus Episcopi tamquam Apostolicae Sedis Delegati in eos jurisdictionem exercent, certis tamen limitibus in ipsa Delegatione definitam. Casus, in quibus Regulares sunt Episcopis obnoxii tamquam Sedis Apostolicae Delegatis, Fagnanus *quadraginta septem* enumerat in *cap. Grave de offic. jud. ordin.*, Barbosa recenset *quingenta duos de offic. et potest. Episc. allegat. 105*, Giraldi vero *op. cit.° p. 1^a sect. 190 et 191* istorum casuum duas satis longas facit *appendices* et enumerationes, dum *sect. 192* tertiam profert *appendicem* casuum, in quibus non subduntur; quas legere libet, ut eisdem casus dignoscere quis possit. — Sed non gaudent omnia Monasteria et Conventus etiam pertinentes ad Ordines exemptos supradicta exemptione, nisi habeatur respectus ad numerum Religiosorum in eis actu et permanenter degentium. Super qua re plures Constitutiones et Decreta Romanorum Pontificum edita sunt, atque Sacrarum Congregationum ad dubia proposita responsiones. Cum vero talia Decreta et Constitutiones non omnia sint generalia, ac nonnullae respiciant Conventus et Monasteria post aliquam aetatem erecta, non vero jam existentia tempore editarum Constitutionum vel Decretorum; hinc universam legislationem sequen-

tibus numeris comprehendemus: — 1° Conventus omnes intra vel extra Italiam et insulas adjacentes, in quibus saltem duodecim Religiosi commorantur, ab Episcoporum jurisdictione sunt immunes, quandoquidem privilegia Regularium ad hos quod attinet, nullam ab Apostolicis Constitutionibus limitationem passa sunt. — 2° Conventus omnes intra vel extra Italiam et Insulas adiacentes, quorum erectio facta est post *diem 21 Junii 1625*, in quibus minor quam duodecim Religiosorum numerus constitutus est, visitationi, correctioni, et omnimodae jurisdictioni Ordinariorum subsunt: id enim consonum est Decreto Urbani VIII et Innoc. XII, quod inscribitur *De celeb. miss.*, nec non circa Italiam et Insulas adiacentes Decreto Innoc. X « *Ut in parvis.* » — 3° Conventus omnes ante *diem 21 Junii 1625* erectos, si agatur de locis extra Italiam et Insulas adiacentes exemptionem, quae Regularium propria est, non amiserunt, at adhuc retinent: namque Pontificum Constitutiones, quae insecutae sunt, nullam iisdem limitationem intulerunt: porro eadem Constitutiones Italiam et Insulas adiacentes tantummodo afficiebant. Et quamvis Innocentius X in Const. « *Instaurandae* » providere se velle circa Conventus extra Italiam edixisset, attamen nulla in posterum dispositio neque ab eo, neque a successoribus ejus edita unquam fuit. — 4° Circa Conventus intra Italiam et Insulas adiacentes, qui minorem quam duodecim Religiosorum numerum complectuntur, et fundati fuerunt ante

diem 21 Junii 1625 standum est Const. « *Instaurandae* » et Decreto « *Ut in parvis* » ac pedissequis S. Congregationis super Stat. Reg. declarationibus juxta modum, videlicet — Quod Conventus primo suppressi et postea ex gratia restituti, Episcoporum jurisdictioni obtemperent, donec duodecim Religiosos alere possint, et actu alant; quae jurisdictio ordinaria non est, sed ab Apostolica Sede delegata, ut videre est in Decreto « *Ut in parvis.* » — Quoad Conventus, qui suppressionem passi non fuerunt, eo quod tempore datae Const. « *Instaurandae* » numerum praefixum ad regularem observantiam custodiendam recensebant, si post id temporis, et etiam ulterius redivis quomodocumque imminutis sex saltem Religiosos probatae vitae, quorum quatuor sint Sacerdotes, minime continent, Episcoporum jurisdictio non ordinaria sit, sed delegata, quod cavetur in eodem Decreto. — Quod tandem Conventus, qui tametsi in vim Const. « *Instaurandae* » et literarum S. C. supprimiti debuissent, nihilotamen actu suppressi non sunt, quia suppressionis decretum effectui minime commissum fuerit, si sex Religiosos de familia connumerent, in Decreto « *Ut in parvis* » comprehensi non intelliguntur, adeoque Episcopi nullam in iis jurisdictionem vindicare sibi possunt, ut S. C. Ep. et Reg. declaravit in una *Cappuccinorum 29 Nov. 1657*, et alias pluries, ut in *Auximana 1744* juxta modum superius enarratum.

*Nota est per in Italia exemptionem
etiam sub facto 3 quoniam. Conventus
et inquit in Pontate...*

4.º Haec porro exemptio a jurisdictione Ordinariorum ex privilegio a jure communi inducto competit omnibus Ordinibus Regularibus, ut Sedi Apostolicae immediate sint subjecti; sed quid censendum est de Congregationibus votorum simplicium? Profecto haec Instituta votorum simplicium eorumque Alumni Ordinibus et personis Regularibus non accensentur, unde talis privilegii participes non sunt. Ista quippe nihil aliud sunt, nisi pia Congregationes et Ecclesiasticae Societates de Clero saeculari, ita ut nisi peculiari aliquo privilegio ex speciali S. Sedis gratia concessio fruuntur, illo communi exemptionis privilegio, quod Regularium proprium est, minime gaudeant. Revera Congregatio Doctrinae Christianae Galliarum post factam dissolutionem unionis a Congregatione Somaschae anno 1647 ab Innocentio X reducta fuit ad statum Congregationis Cleri saecularis per haec verba: « post dissolutionem dictae unionis in dicta » Congregatione Doctrinae Christianae admissi et » in futurum admittendi tamquam Clerici saeculares sunt habendi. » Item ab Alexandro VIII anno 1655 Congregatio Missionis S. Vincentii a Paulo declarata fuit « de Corpore Cleri saecularis; » quod declaratum fuit de ceteris Institutis votorum simplicium. Imo nec qualitatem *Regularis* S. Sedes concedendam esse censuit cuidam Congregationi Presbyterorum, in qua vota simplicia edebantur, ut ex Rescripto S. Congregationis EE. et RR. diei 16 Septembris 1864. — Multum vero interest Con-

gregationes istas fuisse cum suis Constitutionibus a S. Sede probatas, vel potius non probatas. Nam si hae Congregationes existant sola permissione Ordinariorum absque ulla approbatione S. Sedis, tunc dubitari non potest, quin absque ulla limitatione auctoritati et jurisdictioni illorum omnino subjaciant; cum Ordinarii permittentes existere illas Congregationes in sua Dioecesi haud certe suae plenae jurisdictioni valedixerint. Verum si fuerint a S. Sede una cum suis Constitutionibus probatae, tunc sunt obnoxiae seu subjectae jurisdictioni Ordinariorum, *salvis* tamen *Constitutionibus*, seu iis exceptis, quae cadunt *sub interno ac disciplinari regimine et administratione*. Quamvis enim jurisdictionis sit imperium in subditos, et in genere conveniat cum interno regimine Communitatis; in specie tamen valde differunt inter se. Regimen quippe Communitatis reducitur ad quamdam superioritatem et auctoritatem curandi observantiam Constitutionum: e contra jurisdictionis extenditur etiam ad omnes actus juridicos, seu ad actus a jure communi Ordinariis locorum speciatim attributos. Hinc dimissorias ad Ordines concedere, secluso peculiari privilegio, non Superioribus Institutum jure competit; sed dumtaxat locorum Ordinariis; non ad illos, sed ad istos tantum pertinet criminalia judicia pro delictis communibus exercere: ad hosce solummodo Sacram Visitacionem, *salvis* Constitutionibus, peragere: ad hos demum Confessarios etiam pro Institutum Alumnis

approbare. Quapropter superioritas Institutorum minus late patet, quam Ordinariorum jurisdictio, atque altera separatim ab alia exerceri potest, quin una in sua provincia ab altera dependeat. Unde fit, ut qui praesunt Institutis, *Superiores* vel *Moderatores* nuncupentur, numquam vero Ordinarii, quia licet polleant auctoritate pro interno regimine, carent tamen ordinaria jurisdictione. Idque confirmatur ex generali approbationis formula, qua uti solet S. Congregatio EE. et RR. pro hujusmodi Institutis; nempe: « SS^mus praefatum Institutum uti Congregationem votorum simplicium *sub regimine Moderatoris* (vel *Moderatricis*) *generalis, salva Ordinariorum jurisdictione ad praescriptum SS. Canonum, et Apostolicarum Constitutionum*.... approbat atque confirmat.» — Sed quae nam sunt, quae cadunt sub interno ac disciplinari regimine? Juxta citata *Collectanea pag. 477* cadunt seu comprehenduntur ea omnia, de quibus loquuntur Constitutiones, nempe bonorum temporalium administratio, domorum gubernium, Superiorum electiones, Novitiorum receptiones, punitiones transgressionum et inobedientiae, aliorumque domesticorum excessuum, executiones Decretorum et Sententiarum Superiorum, quae observantiam Constitutionum respiciunt; *in quibus aliisque similibus* Ordinarii nullatenus se ingerere possunt, nisi in casibus a jure expressis. Ratio ea esse videtur; quia S. Sedes approbando Constitutiones Institutorum, approbat in eis superio-

ritatem; quia non datur *Communitas sine Superiore*. Et quemadmodum superioritas sine libera auctoritate curandi bonum *Communitatis* esset nomen vacuum et inane; ita S. Sedes eam approbat cum libera auctoritate curandi observantiam eorum quae in Constitutionibus continentur; quin in hoc regimine ab Ordinariis ullimode dependeat, tum ne quid novi praeter ea, quae a S. Sede approbata jam sunt, per externam aliam auctoritatem introducatur, tum ne ob exigentias Ordinariorum fiat collisioni auctoritatum locus; tum denique quia eorum, in quibus S. Sedes apposuit manus, recursus ac iudicium sibi uni reservavit. Unde est, quod Episcopi in casu neque pro tuenda observantia Constitutionum se possunt ingerere, sed si sciant Professos votorum simplicium in hoc deficere, partes officii eorum sunt, S. Sedem de hoc certiore reddere. Quod et praxi perpetua S. Congregationis Episcoporum et Regularium probatur, et Literis Apostolicis Benedicti XIV in forma Brevis, quae incipiunt « *Emanavit nuper* » *diei 21 Januarii 1758*. Quae omnia referuntur in *Collectaneis citatis pag. 480 et seq.*; sicut in *pag. 53* et aliis in locis. — Haec valent de Institutis virorum in quibus eduntur vota simplicia, non autem de Institutis mulierum, in quibus servatur Constitutio Gregorii XV « *Inscrutabili*, » scilicet ut sint sub tutela Episcoporum etiam quando vota solemnia in ipsis eduntur.

5.º Ceterum quod attinet ad aedificationem

novorum Conventuum tenendum est, eos non posse fundari, nisi habeatur venia Apostolicae Sedis ex Constitutione Innocentii X « *Instaurandae* » *idibus Octobris 1652*. Quae non conceditur ex Constitutione Innocentii XII « *Nuper* » nisi praeter alia ad id requisita in singulis ejusmodi locis duodecim saltem Fratres aut Monachi seu Religiosi degere et ex redditibus et consuetis eleemosynis competenter sustentari valeant, prout habet quoque praxis S. Congregationis EE. et RR. Item requiritur venia Episcopi Dioecesei ex Concilio Tridentino *sess. 25 cap. 3^o de Regular.* Imo ex praxi requiritur, ut rogatio ad S. Sedem fiat nomine Episcopi Dioecesei. A quo vocandi sunt et audiendi alii in viciniis existentes Religiosi jam fundatorum Conventuum vel Monasteriorum, an consentire velint pro tali erectione; et jure quidem, cum illorum praejudicium haberi posset. Accedere quoque debet consensus Parochi vel Capituli, penes quod residet cura animarum, et intra cujus Paroeciae limites Monasterium aedificandum est. Imo et populus loci requirendus est, an consentiat ex Constitutione Gregorii XV « *Cum alias* » *diei 17 Augusti 1622*. Et demum attendenda est distantia novi Conventus a prius erectis, ut pluribus allegatis juribus a Canonistis probatur. — De potestate Episcopis adserta reducendi Monasteria ad statum Clericorum saecularium propter defectum Regularium, de qua loquitur *cap. V h. t.*^o dicendum est, hodie id amplius Episcopis non licere ob quaecumque causam,

neque ob collapsam disciplinam regularem, sed reservatum id esse Pontifici Romano ex Constitut. Innocentii X « *Inter Caetera* » *diei 17 Decembris 1649* et « *Instaurandae* » jam citatae.

6.^o Circa hospitalia et cetera loca ad pietatis et misericordiae opera destinata quoad dependentiam et subjectionem Episcopo plures faciendae sunt distinctiones. Namque videndum est, an haec loca sint *Religiosa* vel tantum *pia* secundum conceptum in initio hujus tituli traditum. Si sunt simpliciter loca *pia*, non vero *Religiosa*, tunc Episcopi jurisdictioni non subsunt, ita ut illa visitari nequeant nisi in casibus a jure expressis, prout ostendit Fagnanus ad *cap. 4 h. t.*^o *num. 52 et 54*; nisi post mortem fundatoris, quo casu Episcopi est videre an juxta piam fundatoris intentionem et voluntatem deputata bona debite applicentur et administrentur, prout tenent communiter Doctores ex *cap. 17 de Testament.*, et S. Congregatio Concilii pluries declaravit apud Fagnanum *loc. cit.*^o *num.*^o *56*. Imo potest Episcopus singulis annis exigere rationem administrationis ex Concilio Tridentino *sess. 22 cap. 9^o de reform.*, quem textum debere intelligi de omnibus locis piis etiam non-religiosis declaravit S. Congregatio Concilii apud Fagnanum *loc. cit.*^o *num. 57*. Potest insuper Episcopus fructus illorum locorum piorum in alios pios usus deputare, qui institutioni proximior sit in casu contemplato a Concilio Tridentino *sess. 25 cap. 8^o de reform.* Verum si haec loca fuerint

religiosa, tunc manent sub jurisdictione Episcopi, in cujus Dioecesi sunt fundata quoad subjectionem et ordinationem eorundem, nisi contra Episcopum probetur *exemptio*, quia ipse habet suam intentionem in jure fundatam ex *cap. 3 h. t.*, et ex Concilio Tridentino *sess. 22 cap. 8° de reform.* — Regula autem haec patitur tres limitationes, namque: — 1° excipitur, si haec loca religiosa sint *sub immediata protectione regum*, tunc enim nequeunt visitari *sine eorum licentia*. Docet autem S. Congregatio in *Senogalliensi diei 18 Maii 1726* « Regiam protectionem, quae eximit a visitatione non a rationum redditione, ut suffragetur, implorari debere in limine erectionis. » Quemadmodum in eadem Senogalliensi docet Secretarius Concilium Tridentinum in eo capite intelligendum esse *taxative de regibus*, et non extendi ad alios sublimes principes, qui regalia in suis territoriis possident, si regis titulum non gerant, quia quando voluit eas quoque personas includere expresse dixit, ut in *sess. 25 cap. 9° de reform.*: cui interpretationi adhaesisse visa est S. Congregatio in Eugubina: — 2° excipitur, si in fundatione dictum sit, quod hospitale, vel alius locus hujusmodi non fiat subiectus Episcopo, quam conditionem in fundatione appositam non improbant sacri canones, ut in *Clement. 2^a h. t.* Si tamen dictum esset, quod hospitale non foret subiectum Episcopo, ex hoc visitatio esset interdicta, non autem inspectio rationis administrationis, quae locum habet quoque in locis

non-religiosis, ut supra demonstravimus. Imo si foret interdictum quod rationes Episcopo redderentur, ex hoc tantum sequeretur, quod Episcopus nequiret exigere, ut apud se istae rationes administrationis fierent, at semper cum aliis deputatis posset intervenire in redditione rationum administrationis, prout patet ex Concilio Tridentino *cit.^a sess. 22 cap. 9°*: nisi in fundatione dictum esset, et expresse cautum, *quod rationes reddendae Ordinario non essent, nec cum illius interventu*, prout a S. Congregatione Concilii decisum est in *Eugubina diei 12 Novembr. 1633.* — 3° Excipitur, si hospitalia aliaque loca spectent ad Ordines militares vel hospitalarios, quod colligitur quoque ex citatis capitibus Concilii Tridentini praesertim *sess. 22 cap. 9° de reform.* in quo sermo est de administratoribus saecularibus, non vero Regularibus.

*si excludam Ep. intelligitur de visitatione
si de cap. 3 h. t. est de sanguinis non solum
si — etiam de hoc tunc si nulla remanet probatio
Ceterum talia loca tunc rationes reddere debent vel duci
ecclesie vel civitati quibus hoc independenter non admittuntur
talia loca reddere debent si interueniat suspensio
Ceterum tunc Ep. per tale fundatum sed sepe supponitur
pro bono animae
Hoc de multis fundis in ea fundatione et in interdicto Civ
perita excludit fructum tamen pro olim aduoc.*

TITULUS XXXVII.

De Capellis Monachorum aliorumque Religiosorum.

1.º Capellae nomine hoc titulo venit Ecclesia Curata unita vel incorporata Monasterio vel Ecclesiae Regularium. Unio autem haec, prout communiter censent Auctores apud Schmalzgrueber *h. t.º num.º 5º* fieri potest tripliciter: — 1º *quoad temporalia tantum*, ut Monasterium habeat simpliciter redditus: — 2º *etiam quoad spiritualia*, seu *pleno jure*, ut cura animarum translata sit in Monasterium, remanente ceteroquin Ecclesia, et populo sub ordinaria jurisdictione Episcopi Dioecesanii: — 3º *plenissimo jure*, ut Ecclesia et populus subtrahatur a jurisdictione Episcopi Dioecesanii, et transeat sub jurisdictione quasi-episcopali Abbatis Monasterii. — In hisce tribus casibus quaeritur quis ei deservire debeat Ecclesiae, Clericus

saecularis an regularis, et quamnam in ea jurisdictionem Episcopus Dioecesanus habeat?

2.º Si unio primo modo processit, tunc debet regi in spiritualibus per Clericum saecularem ex *cap. 1º h. t.º*, et de hac unione agit Concilium Tridentinum *sess. 7ª cap. 7º*. Et hic Clericus saecularis ad praesentationem Monasterii instituetur ab Episcopo, postquam examinatus, repertus fuerit idoneus, atque congrua ei portio ab eodem Monasterio praestabitur, nisi Episcopus velit providere per Vicarium temporaneum. Qui Clericus quoad curam populi et animarum, rationem reddet Episcopo, cui subjacebit ex integro. Ratio est, quia per talem unionem Monasterium nullum jus spirituale in Capellam acquisivit, excepto jure-patronatus, dum illius utilitas fuit solum in fructibus percipiendis. Capella proinde manet in totum sub visitatione et jurisdictione Episcopi, prout erat ante unionem.

3.º Facta unione Capellae ad Monasterium secundo modo, seu pleno jure, scilicet quoad spiritualia et temporalia, ita tamen ut populus Episcopo Dioecetano subjectus maneat, tunc habet locum constitutio Tridentini Concilii *sess. 25 cap. XI de Regular.* Poterit siquidem Paroecia regi per Vicarium vel saecularem vel regularem. Si ponatur Vicarius saecularis, tunc tota jurisdictio spiritualis in eum spectat ad Episcopum. Si vero est Regularis ab Episcopo erit probandus. Removeri poterit ab Abbate, certiorato tamen Episcopo; qui vi-

cissim potest petere, ut removeatur; et quoad curam animarum erit Episcopo subjectus, et circa hunc respectum se subjiciet correctioni et visitationi ac punitioni Episcopi, nempe si in officio suo deliquerit. — *In cit.º cap.º* a Concilio Tridentino fiunt duae exceptiones, nempe Monasterii Cluniacensis cum suis limitibus, et exceptio pro Monasteriis seu locis, in quibus Abbates generales aut Capita Ordinum sedem ordinariam principalem habent. Ad cujus ultimae exceptionis rectum intellectum, et ad dubia removenda, edita est a Benedicto XIV Constitutio « *Firmandis atque asserendis* » die 8 Novembr. 1744. In qua Constitutione explicatur quoque ultima clausula decreti Concilii Tridentini, nempe « salvo eorum Episcoporum jure, qui majorem in praedicta loca, vel personas jurisdictionem exercent: » scilicet quod si consuetudo temperaverit, aut imminuerit istas exceptiones, standum sit consuetudini.

4.º Tandem si Parochia sit Monasterio plenissimo jure unita, ut in populum Ecclesiae unitae Monasterium jurisdictionem quasi-episcopalem exercent, prout exponitur in ultima parte *cap. XI sess. 25 de Regular.* jam citati Concilii Tridentini, tunc Episcopus non poterit se immiscere in ejusdem Ecclesiae administratione, quia in totum exempta facta est una cum populo, et Praelatus regularis providebit juxta suum placitum ponendo Vicarium saecularem vel regularem juxta tenorem funda-

tionis, atque receptam consuetudinem. Probata pariter tali omnimoda exemptione Ecclesiae et populi, Episcopus non habet amplius intentionem in jure fundatam suae jurisdictionis, quia desiit esse Episcopus proprius.

*In talibus praesumptio est quae minime prejudicat
juribus Ep. — Consuetudo probanda est
sive plus sive minus a jure indicatum sac. e.
et c.*

modum patens appareat, cum nec honorum, nec onerum, aut commodorum qualitas exprimatur. At haec est natura istius juris, ut modo aliqua, modo diversa includat emolumenta et honores. E contra prima definitio in duobus substantialibus deficit, nempe quod unum indicet, cum alia quoque sint emolumenta non recensita; atque deinde, quod hoc, de quo loquitur definitio, non sit essentielle; cum esse queant jura-patronatus absque hoc unico in definitione recensito jure praesentationis, ut constat ex clara dictione *cap. 25 h. t.* Maxime hac non vera definitione abusi sunt, qui nostris temporibus tuiti sunt jura Gubernii Italici, cum post apprehensionem bonorum pertinentium ad beneficia ecclesiastica noluerunt considerare haec beneficia affecta jure-patronatus ad permittendam bonorum redemptionem juxta Legem diei 15 Augusti 1867, nisi quando patroni habuissent hoc jus praesentandi Clericum in iisdem beneficiis aut Ecclesiis. Inde plura Monasteria Gubernio cesserunt absque jure redemptionis a Patronis exercendo. In quo se exhibuerunt juris canonici etiam ignaros.

2.º Origo juris-patronatus est ex gratitudine Ecclesiae erga eos, qui se liberales exhibuissent Ecclesias fundando, construendo et dotando, vel beneficia in eisdem dotando, cum consensu Episcopi; cujus rei prima exempla habemus in Arausicano Concilio celebrato anno 441 *can. 10*, cujus textus refertur a Gratiano in *can. 1º caus. 16 quaest. 5ª*, falso adscripto Nicolao I tribuente Epi-

TITULUS XXXVIII.

De Jure patronatus.

1.º Juris patronatus duae solent a Doctoribus definitiones exhiberi, quarum prima est « *jus nominandi vel praesentandi Clericum ad Ecclesiam vel beneficium vacans, a Superiore ecclesiastico instituendum.* » Estque haec communis apud Juristas definitio; ut notatur a Reiffenstuel *h. t.º num. 3.º* Doctores alii diversam tradunt definitionem, ut Bernardi in *Tractatu de Beneficiis Ecclesiasticis Dissertatione Quarta cap. 1.º* nempe: « *jus quoddam singulare certis in honoribus commodisque consistens, cui etiam certa onera cohaerent, concessum iis, qui templa, vel beneficia erexerunt, dotarunt aut restituerunt, vel etiam iis, qui ab eisdem causam habent.* » Mihi verior videtur haec postrema definitio, licet nonnullis nimium vaga et late ad-

1) donatio fundi, velo ut notatum in art. 17
 2) aliud: hoc jus tribuitur se mere proprio sed non ab fundat.
 3) vel. 10. vel restituit.

1) erat pignus parvo. et hanc in re. et hanc in re.
 2) primo ad hanc in re. et hanc in re.

1º quid
 2º origo
 3º modi
 4º
 5º

1º quid

responsio bene
 non fac. free
 non. de. non
 omnia

quid de jure

et bene
 pignus

origo bene

et bene
 et bene

scopis ex fundis ad se, vel ad suam Ecclesiam pertinentibus, aedificantibus Ecclesias extra suam Dioecesim positas facultatem deligendi Clericos ab eo Episcopo, in cujus territorio Ecclesia fuerat aedificata, instituendos, ut illi Ecclesiae ministrarent. Quod progressu temporis etiam ad laicos extensum est jus, si idem praestitissent ex suis bonis vel patrimonio, ex *can. 23, 24 et 28 caus. 16 quaest. 7^a* et *cap. 25 h. t.*^o, unde celebris versus Glossae in *cit. can. 23 caus. 16 quaest. 7^a* « Patronum faciunt dos, aedificatio, fundus. » — Tale jus vero considerabatur perpetuum, nempe non solum respiciens fundatorem aut institutorem beneficii, sed et reliquos ab ipso successive habentes causam. Nec fuit necessarium, ut fundatores sibi hoc jus reservarent, sed ipsum opus consideratum est *privilegiatum*; unde ex tali opere semper sequebatur jus-patronatus, nisi fundator huic privilegio vel juri renuntiaret, prout colligitur apertissime ex *cap. 41 de testib. et attestat.* Qui modus *originarius* acquirendi juris-patronatus mansit, prout quoque habemus ex Concilio Tridentino *sess. 25 cap. 9^o de reform.* — Alius deinde pariter originarius modus lucrandi jus-patronatus invectus est, nempe privilegium, de quo inferius loquendum est.

3.^o Porro variae sunt juris-patronatus divisiones. Nam primo jus-patronatus aliud est *ecclesiasticum*, aliud *laicale*, aliud *mixtum*. Cujus divisionis ratio non petitur ex personis, quae hoc jure gaudent, quatenus sint Clerici, laici, vel aliqui

Clerici et alii laici; sed potius ex natura bonorum impensorum, et praecipue ex *titulo*, ex quo tales personae eo jure gaudent. — Attendenda est in principio natura bonorum impensorum in fundatione, constructione et dotatione Ecclesiarum, aut dotatione beneficiorum. Si enim haec bona impensa fuerunt ecclesiastica, jus-patronatus est ecclesiasticum, si laicalia, laicale. Verum attendendus praecipue est *titulus*, quo hoc jus-patronatus habetur; nam si *titulus* est ecclesiasticus, jus-patronatus tale erit, si civilis, et jus-patronatus erit laicale. — Dixi *praecipue esse respiciendum titulum*, ex quo quis jure-patronatus gaudet; nam non semel advenit quod jus-patronatus successu temporis naturam immutet, et ex ecclesiastico fiat laicale, vel viceversa, ut probant Doctores apud Schmalzgrueber *h. t. num. 22*. Neque hoc novum est, aut singulare, cum receptum in jure principium sit, quod quando res non privilegiata pervenit ad privilegiatum, amittit naturam antiquam, et efficitur res privilegiata. Ex qua animadversione sequitur, quod si *titulus* sit ecclesiasticus, jus-patronatus erit *ecclesiasticum*, si civilis, *laicale*; si demum haec possessio est ex *titulo* ecclesiastico simul et civili, jus-patronatus est *mixtum*. Valde autem attendenda est haec divisio, tum ut respiciatur ad successores in ejus possessione, tum praecipue, quia plures sunt differentiae inter has diversas species, quae in progressu *tituli* notabuntur. — Altera divisio est, seu potius *subdivisio* juris-patronatus lai-

calis, ut illud sit aliud *haereditarium*, aliud *familiare* vel *gentilitium*, et *mixtum*, quod utramque qualitatem in patronis exigit, cum aliis ulterioribus subdivisionibus, de quibus consulendus est Berardi *op. et dissert. cit.*^a *cap. 2°*, qui ita loquitur: — « *Haereditarium* illud est, quod pro possessoris arbitrio transit in heredes quoscumque, dummodo isti alias sint ejusdem juris acquirendi capaces. — *Familiare*, vel *gentilitium* est, ad quod vocati sunt ii tantum, qui sunt de familia, vel de gente fundatoris. Dixi de familia vel gente, etenim familia a gente distinguitur, cum familia ea dicatur, quae a fundatore descendit per personas masculini sexus; gens autem nuncupetur, quae complectitur omnes fundatoris agnatos etiam collaterales, *argumento l. 195 de verbor. signific.* Apud pragmaticos non satis de verborum proprietate sollicitos, et gentis, et familiae nomina promiscue sumuntur, etenim gentilitium patronatum etiam familiarem nuncupant; qua tamen in re coacti fuerunt duplex familiae genus agnoscere, aliam vocantes familiam effectivam, quasi a fundatore effectam, sive progenitam, quae sane proprie familia est; aliam vocantes familiam contentivam, quasi eam, in qua et ipse fundator continetur, quam proprie gentem, sive gentilium et agnatorum complexionem dixissent. — Sed et quaedam aliae species sunt juris patronatus, quae cum modo memoratis quamdam analogiam habent. Hujusmodi est patronatus primogenialis, qui com-

petit tantum primogenitis de certa familia, vel agnatione, ceteris exclusis: hujusmodi est patronatus linealis, qui primum ad certam lineam familiae, vel agnationis defertur, qua demum deficiente ad aliam lineam devolvitur: hujusmodi est patronatus descendentalis, ad quem vocantur, descendentes a fundatore, sive sint in familia, sive extra familiam, etiamsi masculi exclusis feminis ad illum vocati fuerint; qua in specie etiam vocati censentur masculi e feminis descendentes: hujusmodi denique est patronatus mixtus, ad quem vocantur, qui sunt de familia, aut de gente, aut de descendentibus fundatoris, dummodo isti fundatori heredes extiterint; qua in specie duplex qualitas contemplatur, nimirum, et qualitas heredis, et qualitas vel familiaris, vel gentilitia, vel descendentalis. » — Tertia divisio est quod jus-patronatus dicatur *personale* vel *reale*. *Personale* illud dicitur, quod patrono competit, quia talis persona est, reale quod patrono competit, quia determinatae rei proprietarius vel possessor existit; unde appellatur jus-patronatus *reale* tamquam alicui fundo affixum, vel ejus ratione competens. — Demum dividitur jus-patronatus in *activum* et *passivum*, aut *utrumque simul*. Quae ultima divisio respicit singulariter praesentationem ad beneficia, et praelationem in suscipienda nominatione. Namque jus-patronatus *activum* dat jus praesentandi Clericum ad beneficium vel Ecclesiam vacantem; *passivum* vero, ut qui eo gaudet praeferatur quibuscumque aliis in nominatione ad idem

beneficium, si est idoneus. Per quae intelligitur quid importet habere *simul et activum et passivum jus-patronatus*.

5^o De modo acq^{re} jus-pat. 4.° De acquisitione nunc agendum est juris-patronatus. Acquiritur autem titulis *originariis*, vel *derivatis*, quos vocare etiam possumus *translatitios*. Tituli primi dicuntur *originarii*, quia ii sunt, per quos primo jus-patronatus statuitur, atque dicuntur quoque *causae*. — Causae porro istae sunt duae, nempe — 1° fundatio, constructio et aedificatio Ecclesiae, aut Beneficii dotatio facta cum venia, seu acceptatione Auctoritatis ecclesiasticae: — 2° privilegium. — De primo titulo locuti in antecessum sumus; et hic non est addendum, nisi quod fieri ista debent venia vel consensu Auctoritatis ecclesiasticae. Idque probatur ab Auctoribus ex verbis *cap. 25 h. t.*°, ubi requiritur *consensus dioecesani*; et ex ratione, cum nequeat construi Ecclesia vel fundari beneficium, seu dari alicui locus in Ecclesia absque dioecesani consensu. Qui tamen dioecesanus obsistere valet, si Ecclesia vel beneficium sufficienter dotatum non sit. Quemadmodum pariter verum est non acquiri jus-patronatus nisi ex completa dotatione, quamvis non intersit, ut una persona sit quae dotet; possunt enim esse plures, et in casu acquirunt jus-patronatus in solidum. — Altera causa, vel titulus originarius acquirendi jus-patronatus est privilegium. Ut adnotat Cardinalis De Luca *De Jure-patronatus discursu XI num.° 10*, ante Concilium Tridentinum Or-

dinarii locorum passim utebantur hac facultate concedendi privilegia juris-patronatus. Verum Concilium Tridentinum hanc sustulit *sess. 25 cap. 9° de reform.* abolitis quibuscumque concessionibus, « exceptis patronatibus super Cathedralibus Ecclesiis competentibus, et exceptis aliis, quae ad imperatorem et reges, seu regna possidentes, aliosque sublimes ac supremos principes jura imperii in dominiis suis habentes pertinebant, et quae in favorem studiorum generalium erant concessa. » Proinde hodie haec concessio post dictam Tridentini Concilii legem nequit fieri nisi a Romanis Pontificibus, unde vocatur *privilegium Apostolicum*. Quod tamen privilegium non conceditur nisi ex titulo oneroso, nempe vel ex largitate exercita, vel exercenda in Ecclesias vel beneficia. Et hoc in sensu intelligendae sunt decisiones Concilii Tridentini in *cap. 12 sess. 14 de reform.* et *cap. 9 sess. 25 de reform.* in quibus profecto Concilium Tridentinum et salvam esse voluit et debuit servare Auctoritatem Sedis Apostolicae, ut apertissime innuit *sess. 25 cap. 21.°* Caeterum fatendum est Summos Pontifices generaliter loquendo non concessisse jura-patronatus nisi onerosa, prout jam ante Tridentinum Concilium idem servaverant Innocentius VIII Constit. « *Cum ab Apostolica* » *anni 1485* et Adrianus VI Constit. « *Accepto* » *1522*. Quae jura-patronatus Imperatoribus et Regibus, vel Rectoribus diversorum Statuum indulgentur, haec vel Bullis et Brevibus concedi solent,

ipso jure post C. Sed. v. de rebus
la page 8 et 10 minis de patronatus

vel in Pactis Concordatis recensentur. — Communiter solet inter causas, quibus jus-patronatus constituitur et primo acquiritur, recenseri *praescriptio* recognita quoque a Concilio Tridentino *cit. cap. 9 sess. 25*. Sed praescriptio haec non est admittenda ut titulus primarius diversus a duobus aliis jam indicatis, sed potius ut modus probationis existentiae praesumptae unius aut alterius ex illis titulis. Cum enim requiratur possessio *immemorialis* istius patronatus, haec possessio tam longa et pacifica facit jure praesumere intercessisse in sui initio vel opus privilegiatum, aut saltem pontificium privilegium: et en quomodo praescriptio sit modus probationis existentiae unius vel alterius tituli. Quod confirmatur quoque ex eo quod Concilium *eo capite* subdat: « in personis aut communitatibus vel » universitatibus, in quibus id jus plerumque ex » usurpatione potius quaesitum praesumi solet, » plenior et exactior probatio ad docendum verum » titulum requiratur, nec immemorabilis temporis » probatio aliter eis suffragetur, quam si praeter » reliqua ad eam necessaria praesentationes etiam » continuatae non minori saltem quam quinquaginta annorum spatio, quae omnes effectum sortitae sint, authenticis scripturis probentur. »

5.° Tituli autem derivati vel translatici a Doctoribus notantur *quatuor*, nempe *haereditas*, *donatio*, *permutatio*, et *venditio*, quibus et *quintus* addi potest nempe *praescriptio*, de quibus breviter agendum est; et primum de titulo haereditatis.

*Propter obliquum concilium foregitur sed per tempus foregitur
onerosum non omnibus gratuitum v.g. cuius deest hunc
q. foregitur est oner. concilium non foregitur alio. 2.° gravi*

Sicut jus-patronatus gentilitium aut familiare transit ad alias personas, quae sunt de eadem familia vel gente, sic jus-patronatus haereditarium transit ad haeredes illius, qui primo id juris lucratus est, et ad haeredes haeredum, cum de sui natura sit perpetuum. — Id vero attendendum est: — (α) in divisione haereditatis non posse jus-patronatus uni ex cohaeredibus adjudicari tamquam ad statuendam aequalitatem partium inter cohaeredes, quia tunc daretur in compensationem aliarum rerum pretio aestimabilium, et cum jus-patronatus sit jus spirituali adnexum haberetur simonia *argumento cap. 16 h. t.°* Liberaliter vero cedi potest uni ex cohaeredibus *ex cap. 14 h. t.°* Sicut uni ex cohaeredibus cedendum est quando est *reale*, si fundus uni ex cohaeredibus adjudicatus est, dummodo nulla habeatur pretii auctio ex jure-patronatus adnexo. — (β) Nec posse inter cohaeredes dividi quoad substantiam, sed omnibus in solidum illud competere *ex cap. 1.° h. t.°*, licet permittatur conventio inter haeredes, ut praesentatio alternis vicibus inter eos fiat *ex Clement. 2.ª h. t.°* — (γ) Jus-patronatus transire ad haeredes mortui patroni *in capita*, nempe ut unusquisque habeat parem auctoritatem in nominando. Sed haeredes haeredum succedere *in stirpes* quatenus repraesentant primos haeredes; et proinde tantum valere voces haeredum unius haeredis, etsi numerosiores isti sint, quantum valent voces haeredum alterius cohaeredis, etsi pauciores existant, aut unus sit, prout habetur *ex cit.ª*

*1) singuli habent idem jus, eandem vocem, et q. si sint
5 unumquemque vocem eandem et qui major. numerus, a fratre
Primi haereditatis sunt primi patroni in capita subdividendi*

Clement. 2^a h. t.° — (δ) Jus-patronatus gentilitium vel familiare extincta familia et gente transire ad haeredes etiam extraneos, nisi fundator expresse suam voluntatem exposuerit contrariam, nempe quod cessante familia et gente Ecclesia vel beneficium efficiatur liberae collationis, aut cesset jus-patronatus. — Transit vero ad extraneos ministerio legis, quando non obsistit testatoris voluntas, ut tenent Fagnanus in *cap. 1^o h. t.° num. 22 et 23*, Pirhing *hoc t.° num. 52* et communiter aiii Doctores. — Donatione transire posse jus-patronatus indubitati juris est ex *cap. 8^o h. t.°* et ex *cap. unic. h. t.° in VI*. Atque id de cunctis patronis est asserendum, uno excepto casu, in quo aliis a fundatore vocatis fieret praejudicium, quam speciem refert Schmalzgrueber *h. t.° num.° 155* de fundatore relinquirentem jus-patronatus Titio ejusque filiis et nepotibus etc., quo casu non est putandum Titium posse donare hoc jus cum praejudicio suorum filiorum etc. Tantummodo quaeritur an in hac juris-patronatus donatione debeat intervenire semper Episcopi consensus, ut valeat. Et tenendum est illum consensum Episcopi non requiri, quando laicus donat Ecclesiae vel loco pio *ex citatis juribus*, vel quando laicus donat compatrono *argumento Clement. 2^{ae} h. t.°* et ex auctoritate glossae in *cap. 14 h. t.° v. contulisset*. At vero cum laicus alteri laico non compatrono vel Clerico, ut personae privatae, donat debere consensum Episcopi intervenire probatur ex *cap. un. h. t.° in VI* ex sensu contrario et ex

communi Doctorum calculo, qui innituntur ratione, quia Episcopi ab curam generalem, quam habet in Ecclesia suae Dioecesis, interest ut sciat quem quaevis Ecclesia patronum habeat, ne forte jus-patronatus concedatur tyranno, aut valde potenti, qui vexet Ecclesiam, et an forte interveniat fraus, et non liberalis donatio sed venditio fiat. At si jus-patronatus est ecclesiasticum, debet semper intervenire consensus Ordinarii, quia est alienatio juris, ad quam rite faciendam requiruntur solemnitates. Quae omnia maxime attendenda sunt, considerato conceptu juris-patronatus, quod est ex mera concessionem Ecclesiae. — Permutatione etiam et venditione posse transferri jus-patronatus jam expositum est in *tit. XVII et tit. XIX h. libro*. — De his modis in praesenti solum adnotandum est: — (a) Inspecta natura juris-patronatus, quod sit *jus spirituali adnexum*, prout dicitur *cap. 16 h. t.° directe* nequit venditione et emptione acquiri, sed *tantum indirecte*; proinde solum jus-patronatus *reale* hoc modo acquiritur; et in hoc casu probe attendendum est, ne pro hoc jure adnexo pluris fundus vendatur, quia secus hoc jus in venditione directe veniret. Huc spectant verba Concilii Tridentini *cap. 9 sess. 25*. « Nec dictum jus-patronatus venditione aut alio quocumque titulo in alios contra » canonicas sanctiones transferre praesumant. Si » secus fecerint, excommunicationis et interdicti » poenis subjiciantur, et dicto jure-patronatus ipso » jure privati existant. » Per quam sanctionem talis

contractus directae venditionis aut alius constituitur viribus carere; constituitur pariter poena amissionis ipsius juris et Ecclesiae liberatio, ut evadat liberae collationis, si omnes patroni se hoc crimine faedent, quos manet excommunicatio vel interdictum, prout sunt personae singulares vel morales. Cui accedit quod nec pretium recuperatur, quod dicitur pretium simoniacum applicandum Ecclesiae, quae talem injuriam passa est. — (b) Dicitur est solum jus-patronatus *reale* venire posse in venditione et quidem *indirecte*; quia si venduntur omnes res haereditariae etiam *per modum unius*, non venit *jus-patronatus* haeredibus relictum, quia hoc non computatur in universitate bonorum, sed hoc competit haeredibus vi juris haereditarii, ex vi cujus universum jus defuncti in haeredes transmittitur, quod non fit in venditione haereditatis, ut docet cum probabiliore sententia Doctorum Schmalzgrueber *h. t.º num.º 158*. — (c) Concessione in Feudum rei, cui inhaeret jus-patronatus, aut ejusdem concessione in emphyteusim, vel in dotem, indirecte concessum censetur jus-patronatus ex *cap. 7º et cap. 13 h. t.º* et in casu dotis spectat praesentatio marito, constante matrimonio, juxta probabiliorem sententiam; quod non est, si jus-patronatus sit personale, vel inhaereat bonis paraphernalibus; tunc enim praesentatio ad foeminam spectat. Non transfertur vero, si res haec pignori detur vel hypothecae subjiciatur, cum in tali casu creditor nec directum nec utile consequatur domi-

nium. — (d) Idem dicatur de permutatione iis quoque attentis, quae in *citato titulo XIX* sunt exposita. — His quatuor modis addi debet praescriptio, quae in casu esset titulus derivatus, et procederet contra antiquum possessorem juris-patronatus. Porro si haec praescriptio est contra laicum, tunc cum titulo adversus praesentem procedit decem annis, adversus absentem viginti annis; deficiente autem titulo completur triginta annis eodem prorsus modo quoad alia bona et jura. Si sit contra patronum ecclesiasticum completur quadraginta annis cum titulo; sed absque titulo tempore immemoriali.

6.º Inspiciendum nunc est quaenam personae sint acquirendi juris-patronatus capaces. In quo attendendum est discrimen esse inter acquisitionem et exercitium juris-patronatus. Acquirere jus-patronatus omnibus licet in Ecclesia, qui fideles sint, Clericis et laicis, viris et foeminis, personis singularibus et personis moralibus: ut enim advertit Schmalzgrueber *h. t.º num.º 65*, edictum de jure-patronatus est prohibitorium, consequenter pro regula ponitur, illud posse acquiri ab omnibus illis, qui prohibiti non sunt. Et nullus est canon, qui tales personas prohibeat ab acquirendo jure-patronatus. Imo et personae morales id possunt acquirere, ut Monasteria, Capitula etc. Non omnes tamen, qui capaces sunt *acquirendi* juris-patronatus, sunt ejusdem *exercendi* capaces; nam impuberes, si septennium praetergressi non sunt, istud juris per se ipsos nequeunt exercere, sed exercent per tu-

tores; et secundum aliquos Doctores id juris exercent per tutores usque ad pubertatem propter imbecillitatem, seu immaturitatem iudicii in ea aetate. Ita pariter foeminae non illud per se exercent, sed per maritum, si jus-patronatus sit bonis dotalibus inhaerens. Infideles autem, pagani et judaei juris istius acquirendi incapaces sunt, quia hoc est privilegium concessum ab Ecclesia non extraneis, sed suis tantummodo, ut dicitur in *cit.º can. 23 caus. 16 quaest. 7.ª* Ex eadem ratione acquirendi istius juris incapaces sunt haeretici; indigni profecto favorum Ecclesiae, contra quam sunt contumaces. Singulare tamen aliquid jam a pluribus saeculis servatur in Germania et Austria circa beneficia, quae obnoxia sunt juri-patronatus *reali*. Namque a tempore pseudo-reformationis ex inducta civili tolerantia pacis Westphalicae anno 1648 inolevit, ut etiam Protestantes jus-patronale quatenus, *reale* est, exercerent in beneficia catholicorum, et vice-versa catholici patroni in Parochias sic dictas et beneficia acatholicorum, et a jure ejusmodi haebrei dumtaxat excluderentur; atque hodie quoque id in facto servari notum est; quin imo in Bohemia quinquaginta patronatus jura realia ab acatholicis ad hodiernum usque diem nulla difficultate opposita exerceri cum effectu testis est Schulte *Compen. jur. eccles. pag. 270 not. 8.ª* Quod juri Ecclesiae quamvis sit aperte contrarium et repugnans, consentientibus omnibus Doctoribus in expositione *cap. 25 h. t.º* cum Fagnano ad dictum caput

*Ecclesia hanc par. formam non recognovit
tamquam in alia consuetudo in --*

num.º 10, tamen hucusque vel toleratum vel dissimulatum est, quia secus magnae turbae, similitates et odia excitarentur, et Ecclesia facile damnatum materialia tum moralia pateretur, quae graviora etiam Episcopis visa sunt, quam malum quod ex hujusmodi acatholicorum praesentatione oboriri posset. — Peculiaris potius quaestio institui potest circa excommunicatos relate ad capacitatem *exercendi* jus-patronatus; et quia nostris temporibus maxime practica haec fuit quaestio in Italia nostra, fusior aliquantulum sermo de hac instituetur. Certum siquidem est excommunicatum ipso patronatu ante excommunicationem ratione foundationis, constructionis et dotationis titulo sibi quaesito per excommunicationem non privari, quia ea privatio nullo jure statuta est. Quod retinendum esse puto, etiamsi per privilegium fuerit obtentum ante excommunicationem, vel tempore excommunicationis cum clausula absolutoria ad effectum rescripti consequendum, ut exposuimus in *TITULO De Rescriptis*. At certum pariter est Superiorem ecclesiasticum *non teneri praesentationem ab excommunicato factam admittere, nec teneri expectare, ut a censura absolvatur, si in mora sit petendae absolutionis*. Haec enim est sententia moderatorum Canonistarum apud Schmalzgrueber *h. t.º num.º 70* contra rigidiores sustinentes esse praesentationem invalidam. Quae doctrina applicari potest ultimo facto Regni Italici. Cum enim Summus Pontifex providisset anno 1878 aliquas Sedes praesertim

Teatinam et Neapolitanam de respectivis Archiepiscopis, putavit Gubernium italicum regio juri-patronatus praejudicium factum esse, vi cujus Pontificiae institutioni praeire debebat regia nominatio, et hac capta occasione recensita sunt antiqua diplomata de recognito a Sede Apostolica juri-patronatus regio in pluribus sedibus antiquae ditionis neapolitanae cis et ultra Pharum. Huic Gubernii praetentioni ab eruditis et praesertim a Juristis pluribus modis occursum est. Nec tantum obstiterunt qui partes Summi Pontificis tuebantur, sed et qui Regno italico ex animo adhaeserant. A nonnullis siquidem istae notae seu enumerationes Sedum subjectarum regio juri-patronatus recognitae sunt exaggeratae, utpote non desumptae ex diplomatibus Pontificiis, sed ex aliis excerptae documentis quovis valore destitutis. Atque haec animadversio vera erat, sed quaestionem in totum non perimebat de omnimoda libertate S. Sedis in provisione omnium Ecclesiarum. Alii scriptores contendebant haec diplomata Pontificia non posse hodie invocari, vel quod non respicerent modernum Italiae regimen, vel quod eorum favori fuisset renuntiatum per celebrem dictam Legem « *delle guarantee*. » Sed non defuit Pontificium documentum, quod omnem in theoria et in praxi hac super re sustulit dubitationem. Nam in sapientissima Epistola Summi Pontificis Leonis XIII directa ad Cardinalem a secretis Status sub *die 27 Augusti 1878* quoad hanc quaestionem haec leguntur: « Non è

» Nostra mente fermarci a mostrare l' insussistenza
 » di tali diritti, che d'altronde viene riconosciuta
 » da molti anche della parte avversa. Ci basta solo
 » di ricordare, che la Sede Apostolica, alla quale
 » è riservata la provvista dei Vescovati, non fu solita concedere il diritto di patronato se non a
 » quei Principi, che molto bene avessero meritato
 » della Chiesa, sostenendone le ragioni, favorendo
 » done l' ampliamento, accrescendone il patrimonio;
 » e che quelli che la combattono, impugnandone
 » i diritti, appropriandosene le sostanze, addiventano per ciò solo *incapaci* secondo i canoni di
 » *esercitarlo*. » His, qui talia jura afferebant, poterat ne tutius et mitius responderi? Et hoc responsum visum est omne tulisse punctum, cum talis quaestio quoad praxim cessaverit. Nos vero in subsequentibus ostendere conabimur ab eis fuisse deperditum ipsum jus-patronatus, quod praestabimus ultima parte praesentis tituli; quamvis Pontificia Responsio ab extrema conclusione prudentissime absterneat.

7.º At quaenam jura competunt patronis? Ea partim *honorifica* sunt, partim *lucrativa*, seu *utilia*; quae adnectuntur nonnullae obligationes, quod more suo exponit Glossa in *cap. 25 h. t.º v. modeste*.

Patrono debetur honos, onus, utilitasque,
 Praesentet, praesit, defendat, alatur egenus.
 Porro quod spectat ad honores, hi varii recensentur ab Auctoribus, puta *jus stemmatis, sedis, praece-*

*Commoda
sua jura*

dentiae in processionibus, jus thurificationis, pacis, recipiendae oblationis palmarum et candelarum, jus sepulturae, aliaque hujusmodi; ut notatur in can. 26 caus. 16 quaest. 7^a in Decreto, et cap. 25 h. t.^o Verum attendendum est non omnes patronos habere omnia haec jura, et in pluribus respicienda est variorum locorum consuetudo. — Quod attinet ad jura utilia, ea reduci possunt ad sequentia: — 1^o jus praesentationis, — 2^o jus census, — 3^o jus alimentorum. — Et cum de jure praesentationis in sequentibus sit loquendum, nunc tantum de altero ac tertio jure verba faciemus. Quae donata Ecclesiae sunt, manere debent in utilitatem ejusdem exclusive, neque ulla participatio quoad fructus esse debet illius, qui ea libere donavit. Ex hoc sequitur quid tenendum sit de censu, vel pensione patrono solvenda; nam aut censum vel pensionem solvenda sibi suisque successoribus patronus constituit in limine foundationis, vel post factam foundationem ea pensione gravare vult Ecclesiam vel beneficium; primum licet ex cap. 23 h. t.^o, nam quilibet est moderator et arbiter rerum suarum, proinde potest quamcumque legem vel conditionem imponere, dummodo honesta et licita sit. Unde si haec pensio vel census imponitur initio cum consensu Episcopi, est fundatori ejusque successoribus solvendus. Probe additur, quod debeat esse consensus Episcopi, ut advertunt Doctores in expositione cit. cap. 23 h. t.^o, cum privatus nequeat dispositionem canonum immutare. At ex altera

parte Episcopus nequit hanc conditionem improbare, eique non consentire, si hic census est moderatus spectata foundationis et reddituum ecclesiasticorum quantitate. Secus est dicendum ex dicto cap. 23 h. t.^o et cap. 7^o et 8^o de censib. si postea quam fundatio jam advenit, imposita sit pensio aut census, cum ex principio utriusque juris sit recognitum ex Leg. 4^a Cod. de donat. donationem conditiones postea non capere. Imo nec census aut pensio antea constituta valet augeri, cum jam fuerit Ecclesiae jus perfecte quaesitum. Praeter hunc censum, qui vocatur antiquus, id est in ipsa fundatione reservatus, si aliquid fuerit exactum, venit sub nomine usurpationis, quae punitur d.^o cap. 23 h. t.^o et a Concilio Tridentino sess. 22 cap. XI. Emolumentum tertium dicitur emolumentum alimentorum competens patrono vergenti ad inopiam. Id patet ex claris verbis cap. 25 h. t.^o « et si fundator ad inopiam vergat, ab Ecclesia illi modeste » succurritur, sicut in sacris est canonibus institutum. » Quod ex antiquis canonibus ad quos respexit in eo capite Clemens III datur etiam filiis, ut dicitur in can. 38. Concilii Toletani IV relato a Gratiano in can. 30 caus. 16 quaest. 7.^a Ad hoc vero, ut alimenta patronus ab Ecclesia jure petere valeat docet cum communi Doctorum Schmalzgrueber h. t.^o num. 106 et seqq. requiri — 1^o ut ultra sufficientem ministrorum sustentationem et impensas pro cultu necessarias habeantur superflua: — 2^o ut patronus suam probet egestatem, et quod non

Non dicitur si fundator, attendens quod ad honeste eius conditionem succurritur. Sed dicitur de superfluis — si autem superfluis detrahitur superfluum necessarium, non succurritur, nec servitium dicitur. Quia debet animari

habeat personas satis divites sibi conjunctas obligatas ad alimenta ei praebenda: — 3° quod sit sanguine cum eis conjunctus, a quibus Ecclesia vel beneficium fuerit fundatum. — Sed quamvis allati canones loquantur quoque de hac tertia conditione, advertit tamen Giraldis *op. cit.° part. 1^a sect. 580* « non obstante hac clara canonum dispositione » (non deberi alimenta patronis cum fundatore sanguine non conjunctis) censuit Rota hoc jus aliorum extendendum esse etiam ad haereditarios patroni licet extraneos, in quos jus-patronatus transivit. » — Atque id probat pluribus allatis Decisionibus ejusdem Supremi Tribunalis. Imo hodie, ut alibi ostensum est, Sacrae Congregationes ad succurrendum indigentiae patronorum, et praesertim ad elargiendas filiabus patronorum dotes, quae secus indotatae remanerent, consueverunt in vacationibus eorundem beneficiorum permittere, ut non procederetur ad eorum provisionem, sed remanerent vacantia ad tempus, adimpletis oneribus sacris beneficio adnexis, ut ita prospici huic necessitati valeret, sicut et pro explenda educatione litteraria filiorum ad eosdem patronos spectantium. *omni modo patroni non habeat alia personarum obligatio*

Genera 8.° Cum de juribus patronorum actum sit, nonnulla addenda sunt de eorum oneribus. Sacri canones praeceperunt, ut patroni essent defensores et Advocati beneficiorum, super quibus habebant jus-patronatus. Quia vero haec defensio et Advocatia malam interpretationem passa est, et dedit

maximam obligationem provisionis vacantium non in delegationem

ansam usurpationi patronorum; hinc necesse est, quod in hoc onere determinando paulisper insistamus. Advocatia vel jus-patronatus nullam jurisdictionem in Clericum in beneficio institutum, aut administrationem bonorum beneficii vel Ecclesiae Advocato vel patrono tribuit, et quando patronus vel Advocatus ea sibi usurpare censuerunt, tunc constitutionibus canonum cohibiti sunt, prout constat *cap. 4, 13 et 23 h. t.°, cap. 12 de poenis et cap. 13 de elect. in VI*, donec abusibus eliminandis supremam manum intulit Concilium Tridentinum duobus in locis, nempe *cap. 3° sess. 24* ubi decrevit: « Patroni in iis, quae ad Sacramentorum administrationem spectant, nullatenus se praesumant ingerere; neque visitationi ornamentorum Ecclesiae, aut bonorum stabilium, seu fabricarum proventibus immisceant, nisi quatenus id eis ex institutione ac fundatione competat: sed Episcopi ipsi haec faciant, et fabricarum redditus in usus Ecclesiae necessarios et utiles, prout sibi expedire magis visum fuerit, expendi curent. » Et *sess. 25 cap. 9°*: « Patroni beneficiorum cujuscumque ordinis et dignitatis, etiam si communitates, universitates, collegia quaecumque Clericorum aut laicorum existant, in perceptione fructuum, proventuum, obventionum quorumcumque beneficiorum, etiam si vere de jus-patronatus ipsorum ex fundatione et dotatione essent, nullatenus, nullave causa vel occasione se ingerant, sed illos libere rectori seu beneficiato,

» non obstante etiam quacumque consuetudine, di-
 » struendos dimittant. » Nihilominus patrono et
 Advocato incumbit cura Ecclesiarum et beneficio-
 rum, et modo hoc vocatur *jus*, modo *officium* et
onus. Ad quod determinandum optime Berardi
opere et Dissertat. cit.^a cap. 7^o ait: « Adhuc hodie
 » interpretes nostri distinxerunt triplicem Eccle-
 » siae, aut beneficii curam, quarum primam *au-*
 » *ctorizabilem* dixerant, quae jurisdictionem habet
 » adnexam, alteram *ministerialem*, quae actus ex-
 » plicat spirituales, aut spiritualibus adnexos, po-
 » stemam *providentialem*, sive *sollicitudinis*; et
 » quamquam priora duo curae genera patrono de-
 » negata agnoverint, praesertim ex Tridentino de-
 » creto, nisi in specie expresse reservationis in li-
 » mine foundationis factae, non tamen postremum
 » curae genus denegatum fuisse tradiderunt. Hanc
 » ipsam providentialem, sive sollicitudinis curam
 » jam suffragio suo comprobaverant vetustissimi
 » Toletani Patres in *can. 31, can. 16, qu. 7*. Con-
 » sistit autem potissimum in eo, ut detur patrono
 » facultas inquirendi, non tamen sub quadam ju-
 » risdictionis, aut officii specie, sed privatim, an
 » beneficiarii oneribus beneficii satisfaciant, an
 » bona beneficii recte administrent, et similia; et
 » cum quidquam in ea re peccatum inveniant, tum
 » id deferant ad Superiorem, a quo congruum op-
 » portunumque remedium petant, expectent. His
 » proximum est, quod etiam hodie tradi solet re-
 » ceptum, nimirum si ad unionem, vel divisionem

» beneficii patronalis Episcopus deveniendum putet
 » juxta Concilium Tridentinum *sess. 24 de reform.*
 » *cap. 15*, aut si in collatione beneficii pensio
 » gratiâ alterius reservetur, aut beneficium cum
 » alio beneficio permutetur, vel gratiâ alterius re-
 » signetur, aut in eo Vicarius perpetuus consti-
 » tuatur, aut res beneficii ex necessaria, vel utili
 » causa alienetur, necessarius erit consensus pa-
 » troni, cum in his omnibus casibus interesse pa-
 » troni poscat ne quidquam innovetur. Ubi vero
 » nullum patrono detrimentum ingeritur, non erit
 » necessarius illius consensus, quamobrem poterit
 » Episcopus novam Capellam in Ecclesia patronata
 » libere erigere, confraternitatem inducere, scamna
 » extraneis, non tamen honorifica, concedere et ju-
 » bere sepulchra excavari. »

9.^o Advocatia seu defensio Ecclesiarum et be-
 neficiorum a Canonibus aliquando confunditur cum
 jure-patronatus, ita ut utrumque nomen eidem juri
 competat, prout habetur in *cap. 6^o et cap. 24 h. t.^o*,
 unde teste Gonzalez in Commentariis ad *cap. 23*
h. t.^o num.^o 8 patronus dicitur *Advocatus natus*
 Ecclesiae vel beneficii. Aliquando autem patronus
 impetrabat jus defensionis a Principe territoriali,
 et dicebatur *Advocatus datus*, prout habetur *cap. 23*
h. t.^o quia defensio ab apertis injuriis et usurpa-
 tionibus non poterat praestari nisi subsidio Summi
 Principis territorialis, a quo sub diversis nominibus
 deinde impetrabant patroni, nempe ut vocarentur
 Advocati, vicedomini, custodes etc., et mandato

ejusdem Principis eorum beneficiorum jura defendebant et possessiones. Et revera plures textus juris et monumenta historica affert Gonzalez *cit.*^o *loco*, ut probet primum onus Advocatae spectare ad Principem territorialem, ex quibus, facta comparatione ad hodiernam praxim videmus quomodo in pessimam omnino conditionem res versae sint. Qui enim supremi Principes et Gubernia antiquitus contra apertam vim possessiones Ecclesiae legitimas defendebant, hodie diripiunt, aliisque diripiendas relinquunt, imo et facultatem praebent alliciendo patronos ad invadendam substantiam talium beneficiorum. Qua in re attendimus praecipue ad *cit.* Legem Gubernii italici editam sub *die 15 Augusti 1867*. In ea lege supprimuntur omnia beneficia ecclesiastica, eorumque bona devolvuntur ad demanium status. Sed *art.*^o *5*^o fit exceptio pro beneficiis subjectis juri-patronatus laicali vel mixto et pro istis constituitur: « I patroni laicali potranno » rivendicare i beni costituenti la dotazione, con » che nel termine di un anno dalla promulgazione » della presente legge con atto regolare esente da » tassa di registro ne facciano dichiarazione, paghino contemporaneamente un quarto del trenta » per cento del valore dei beni medesimi calcolato » senza detrazione dei pesi, salvo l'adempimento » dei medesimi, se è come di diritto, e si obblighino di pagare in tre rate eguali gli altri tre » quarti cogl'interessi » cum iis quae sequuntur. — In conspectu hujus legis, quae injustitiae jungit

hypocrisim phariseorum camelum deglatientium et calicem excolantium, quippe quae jura Ecclesiae despicit et exaggerat jura patronorum S. Sedes indulget patronis, ut quocumque modo valeant, certent redimere de manu Gubernii apprehensa bona, eaque servant in utilitatem Ecclesiae, accepta reintegratione omnium factarum expensarum, prout patet ex indulto pro patronis edito a S. Poenitentiaria sub *die 13 Junii 1868*. Cujus indulti hoc est principium, nempe patronos nihil debere lucrari ex hac injusta Gubernii lege; sed vicissim omnes eis reficiendas esse expensas. Indultum est sequentis tenoris: — « Sacra Poenitentiaria jam plurimis locorum Ordinariis sequentes » circa Patronos concessit facultates; nempe: — » I Indulgenti Patronis Beneficiorum, Cappellaniarum ac Praelaturarum ut persolvere valeant » Gubernio quod ab eodem super iisdem Beneficiis, » Cappellaniis et Praelaturis violenter exigitur. — » II Indulgenti pariter iisdem Patronis, ut bona » eorundem Beneficiorum, Cappellaniarum, ac » Praelaturarum ad normam legis a Gubernio latae, amoto scandalo, retinere seu assequi licite » valeant sub sequentibus conditionibus: — 1^a Retinendi eadem bona ad nutum Ecclesiae, ejusque » mandatis subinde parendi. — 2^a Conservandi ipsa » bona et in eis rem utilem gerendi. — 3^a Impendendi fructus inde colligendos in aequam satisfactionem summae ab ipsis Patronis Gubernio solutae, quatenus illam repetere velint, et in re-

» dintegrationem eorumdem Beneficiorum, Cappellaniarum ac Praelaturarum. Ut autem ejusmodi
 » redintegratio faciliori ratione obtineri possit, Sacra Poenitentiaria iisdem locorum Ordinariis facultates tribuit necessarias et opportunas ad hoc,
 » ut eorumdem Beneficiorum, Cappellaniarum ac Praelaturarum vacantium nominationem et provisionem ad tempus suspendere, et pia onera eisdem adnexa, prout in casibus particularibus, bene omnibus perpensis, sibi in Domino expedire visum fuerit, ad tempus pariter reducere, seu etiam in toto suspendere Apostolica Auctoritate valeant; ita tamen, ut, si agatur de oneribus Missarum, memoratis Patronis alicujus Missarum numeri celebratio quotannis imponatur, supplendo reliquum defectum de thesauro Ecclesiae. Peracta autem praefata redintegratione ipsi Patroni ad eadem Beneficia, seu Cappellanas, aut Praelaturas alium, prout de jure, nominent, seu praesentent, cui universitas fructuum eorumdem bonorum cum omnibus adnexis oneribus juxta legem foundationis cedat. — 4^a Certiorandi haeredes et successores de hujusmodi obligationibus per syngrapham subscriptam, ut et ipsi sciant ad quid teneantur. — Hujusmodi vero facultates quamvis opportuna sint pro casibus, in quibus agitur de Beneficiis vacantibus, non omnes tamen dirimunt difficultates, quae circa Beneficia non vacantia facile exoriri possunt. Quare eadem Sacra Poenitentiaria has dif-

» facultates e medio tollere cupiens, de speciali et expressa Apostolica Auctoritate nedum supra scriptas facultates iis locorum Ordinariis in Italia existentibus, ad quos jam transmissae sunt, confirmat, aliis vero, ad quos nondum pervenerunt, communicat; verum etiam sequentes circa Beneficia non vacantia concedit, quibus quidem facultatibus in actualibus circumstantiis, iisque durantibus pro grege sibi commisso uti libere valeant; scilicet: — Indulgendi Patronis, ut persolvere valeant Gubernio quod ab eodem super bonis dictorum Beneficiorum violenter exigitur, nec non eadem bona ad normam legis a Gubernio latae, amoto scandalo, vindicare, seu assequi licite valeant cum sequentibus conditionibus: — 1^a Ut bona Beneficiorum etiam post dictam vindicationem a respectivis eorumdem Beneficiorum Rectoribus possideantur, adhibitis debitis cautelis, et emissa a Patronis obligatione in scriptis pro se, suisque haeredibus et successoribus valitura, ac penes Curiam Episcopalem caute asservanda, se numquam molestiam quoad hujusmodi canonicas possessiones dictis Rectoribus, eorumque successoribus allaturos. — 2^a Ut fructus eorumdem Beneficiorum a respectivis Rectoribus etiam in futurum percipiantur, facta potestate Ordinariis onera illis adnexa Apostolica Auctoritate reducendi, vel etiam suspendendi ad effectum summam ipsis oneribus respondentem favore Patronorum applicandi in redintegratio-

» nem summae ab ipsis Gubernio solutae, quatenus
 » illam repetere velint; ita tamen, ut, si agatur
 » de onere Missarum, Rectoribus Beneficiorum ali-
 » cujus Missarum numeri celebratio imponatur,
 » supplendo reliquum defectum de thesauro Eccle-
 » siae. Hujusmodi autem reductio, seu suspensio
 » onerum duratura erit solummodo quoadusque
 » Patroni de dicta summa Gubernio soluta redin-
 » tegrentur. Quod si post vacationem Beneficiorum
 » Patroni nondum de memorata summa redinte-
 » grati fuerint, Sacra Poenitentiaria de speciali
 » pariter Apostolica Auctoritate praelaudatis Ordi-
 » nariis facultatem concedit permittendi suspensio-
 » nem nominationis et provisionis Beneficiorum,
 » de quibus agitur, pro tempore ad dictam re-
 » dintegrationem necessario, deputatis interim ab
 » eisdem Ordinariis bonorum Beneficiorum admi-
 » nistratoribus inter Patronos, si fieri possit, eli-
 » gendis, qui fructus pro eadem redintegratione
 » erogent, detracta rata parte pro onerum satisfa-
 » ctione, quorum adimplementum ab ipsis Ordi-
 » nariis praescriptum fuerit. Dicto autem tempore
 » vix elapso, Patroni, seu eorum successores novos
 » Beneficiorum Rectores, quibus eorumdem Bene-
 » ficiorum bona cum omnibus fructibus, et oneribus
 » adnexis juxta legem foundationis cedant, nomi-
 » nare, seu praesentare teneantur, adhibitis debitis
 » cautelis, quas circumstantiae requisierint. Con-
 » trariis quibuscumque non obstantibus. » — Quod
 si Patroni summam non haberent Gubernio pen-

dendam, permisit eis S. Poenitentiaria, ut aes alie-
 num contrahere valerent data quoque hypotheca
 super fundis constituentibus dotem beneficium. Ali-
 quando concessit rescriptis particularibus, ut par-
 tem dotis alienarent ad eundem finem, imposita
 tamen conditione reintegrationis ex fructibus be-
 neficium et data veniâ reductionis temporaneae one-
 rum adnexorum ab Episcopo indulgendae. Quo
 indulto et rescriptis S. Poenitentiaria voluit allie-
 cere Patronos ad redemptionem faciendam data
 securitate indemnitas omnimodae quarumcum-
 que expensarum et fructuum summae exhibitae,
 et servato jure-patronatus. Habita deinde ratione
 ad alias patronorum postulationes eadem S. Poe-
 nitentiaria aliud Episcopis latius indultum commu-
 nicavit, quod est tenoris sequentis: — « Sacra
 » Poenitentiaria conscientiarum quieti, et causa-
 » rum piarum utilitati, quantum in Domino potest,
 » prospicere cupiens, praeter facultates per literas
 » *diei 13 Junii 1868* Italiae Ordinariis jam im-
 » partitas, ut bona juri-patronatus subjecta a Pa-
 » tronis vindicari, conservari, et in pristinum re-
 » poni possent, attentis noviter expositis, et prae-
 » sertim ad amovenda pericula, quibus bona
 » causarum piarum sic vindicata adhuc subjiciun-
 » tur, Venerabili in Xto Patri Episcopo
 » sequentes concedit facultates, quibus sive
 » per se sive per aliam idoneam ecclesiasticam per-
 » sonam ab eo ad hoc specialiter deputandam, per
 » annum, si tantum praesentes circumstantiae du-

» raverint, pro sua prudentia, cum Patronis cau-
 » sarum piarum in territorio suae jurisdictionis
 » existentium uti licite valeat. — 1 Indulgendi
 » praefatis Patronis, qui bona a Gubernio vindici-
 » caverint, ut ea libere alienare, vel uti propria
 » habere valeant, constituto tamen pretio, quod
 » ipsi Patroni, detractis expensis pro vindicatione
 » supportatis, Ordinario vel personae aut commis-
 » sioni ab eo designatae tradere teneantur; ac prae-
 » via ipsorum absolute a censuris et poenis ec-
 » clesiasticis, cum poenitentia salutari, quatenus
 » absque Apostolica venia ad vindicationem pro-
 » cesserint. — 2 Condonandi partem aliquam prae-
 » dicti pretii iis Patronis, qui in perpetuum jus-
 » patronatus dimittere, et in futurum collationem
 » omnino liberam in manibus Ordinarii pro tem-
 » pore relinquere parati sint. — 3 Indulgendi pa-
 » riter iis, qui super bonis habeant imposita le-
 » gata pia, vel Missarum onera, ut ea redimere
 » valeant, data summa, quae computatis fructibus
 » ad quinque pro centum, quotannis redditus suf-
 » ficientes praebeat pro integro eorundem onerum
 » adimplemento et sub hac lege, ut, si praefata
 » summa solvatur per publicas schedas vulgo,
 » *di Consolidato*, ipsae schedae non computentur
 » juxta nominalem valorem ipsarum, sed juxta
 » pretium, quod die solutionis effective in publicis
 » negotiis habeat. — 4 Sanandi alienationes quas-
 » cumque praedictorum bonorum a Patronis jam
 » factas, praevia ipsorum absolute a censuris

» et poenis ecclesiasticis propterea incursis, cum
 » congrua poenitentia salutari, et tradito pretio in
 » manibus Ordinarii prout superius in numeris 1°
 » et 2° praescriptum est. — Cavendum porro ma-
 » xime est ne praefatae summae a Patronis solutae
 » novis exponantur periculis, sed in tuto et ho-
 » nesto investimento exclusive in utilitatem illarum
 » causarum piarum, ad quas ea bona pertinebant,
 » collocentur; confirmata per praesentes literas su-
 » perlaudato Ordinario facultate reducendi ad tem-
 » pus illarum onera, seu etiam suspendendi col-
 » lationem juxta formam expressam in praecedenti
 » Indulto circa Patronos ad hoc ut ipsae causae
 » piae in pristinum statum facilius reponi possint.
 » Contrariis quibuscumque non obstantibus. Da-
 » tum Romae in S. Poenitentiarum *die*
 » . »

10.° Sermo nunc instituendus est de actu prae-
 sentationis. Inter patronorum jura recensetur prae-
 sentatio personae ad beneficium vel Ecclesiam va-
 cantem, quo tantum in casu vacationis haec ei po-
 testas advenit. Ut tamen hic actus juxta canones
 compleatur plura observanda sunt. Et — (a) re-
 spiciendum est ad personam praesentandam. Hic
 debet esse Clericus, vel qui post breve temporis
 intervallum Clericus esse valeat, ut observat Pi-
 rring *hoc t.° num.° 95*, quia non debet institui qui
 Clericus actu non est, sed potest nominari vel prae-
 sentari, qui Clericus esse valet ante institutionem;
 et isti dicuntur *aretati ad tonsuram vel ordines*

recipiendos ratione habendi beneficium. Praeter hoc praesentandi debent habere qualitates requisitas juxta tabulas foundationis beneficii vel Ecclesiae. Si enim requiritur ex fundatione alius ordo, puta Subdiaconatus, vel Presbyteratus actu susceptus, vel gradus academicus, aut nobilitas, aliaque conditio honesta, haec debet servari. Quemadmodum si beneficii fundator aliquas personas praetulerit eisque dederit jus-patronatus passivum, hae si idoneae reperiantur, omnibus aliis praeferendae sunt; qui enim passivum jus-patronatus possident, hi directe a fundatore vocati sunt, proindeque nequeunt negligi. Si aliter praesentatio procedat, nisi qui habent jus praelationis saltem tacite consentiant, quando in eorum unice favorem constituta est praelatio, invalida fit nominatio. — De digniore praesentando prae digno, quamvis in theologia morali pro conscientia fiant plures et practicae quaestiones, in jure tamen canonico, nempe quoad forum externum non habemus regulam, quae praesentationem digni faciat irritam vel irritandam, si dignior fuerit spretus. Solummodo in jure-patronatus ecclesiastico, si beneficium habet adnexam curam animarum, Patronus tenetur praesentare quem digniorem ipse putaverit ex approbatis *in concursu*, prout alibi dictum est. Consulatur hac in re Benedictus XIV *de Syn. Dioecesis. lib. 4^o cap. 8^o num. 8*, in quo loco deciditur juxta Tridentinum quaestio de designando digniore inter approbatos, nempe ab Episcopo et non a Patrono ecclesiastico,

quando institutio non pertinet ad Episcopum, sed ad alium. In omnibus aliis casibus et pro quacumque specie juris-patronatus pro foro externo sufficit, ut praesentatus sit idoneus seu dignus. — Quamvis *cap. 26 h. t.*^o interdicitur Patrono Clerico, ut ad vacantem Ecclesiam se ipsum praesentet, advertit tamen Giraldi *op. cit.*^o *part. 1^a sect. 581* esse hanc Decretalem strictae interpretationis, namque Rota Romana *Diversor. part. 2^a decis. 175 num. 4^o* admisit Clericum Patronum posse acceptare praesentationem sui factam ab aliis compatronis et hac acceptatione facere majoritatem votorum. Advertit deinde non deesse Doctores, qui rationabiliter sentiant Patronum Clericum posse utiliter seipsum praesentare, si agatur de beneficio adnexam non habente praelationem, cum circa praelationem ratio decidendi, qua hic utitur Pontifex, maxime locum habeat. Quae Doctorum sententia probatur quoque ex hoc, quod Congregatio Concilii in *Nullius 14 Decembris 1630 lib. 14 Decretor. pag. 361* indulget Patrono posse praesentare seipsum ad canonicatum et praebendam vacantem de suo jure-patronatus, eo legitime probato, approbante ejusdem Congregationis sententiam Urbano VIII. — (b) Tempus quoque a Canonibus determinatum est ad praesentationem faciendam et inter alias juris Constitutiones clara est dispositio Bonifacii VIII *cap. unic. h. t. in VI.* In jure-patronatus laicali datur ad praesentandum *quadrimestre* tantum laico Patrono; Ecclesia tamen,

vel Monasterium et in genere in jure-patronatus ecclesiastico habet locum *semestre*. De jure-patronatus mixto non habemus regulam juris; sed res determinatur generalibus juris principiis et praxi. Optime siquidem cum communi Doctorum insinuat Reiffenstuel *h. t.º num. 52*. Juri-patronatus mixto illud speciale esse, quod in particularibus casibus reguletur velut ecclesiasticum, vel ut laicale, prout exigit qualitas casus magis privilegiati, magisque favens patronatui; prout monet glossa in *cap. unic. h. t.º in VI v. de ecclesiasticis*, quia si non-privilegiatus in materia individua seu inseparabili concurrat cum privilegiato, utitur hujus privilegio. Unde in casu in jure-patronatus mixto tempus utile ad praesentationem pro Patrono ecclesiastico et laico est *semestre*; quemadmodum praxis probat. Barbosa *lib. 3º jur. eccles. univ. cap. 12 num. 17* afferens auctoritatem Joan. Andreae in *cap. cum in illis § fn. de praebend. in VI*, limitat in casu, quo Patronus ecclesiasticus et laicus inter se conveniunt, quod alternis vicibus praesentare velint juxta *Clement. 2 h. t.º*, quia tunc in casu, quo praesentat ecclesiasticus, censetur jus-patronatus ecclesiasticum totaliter, et habet locum *semestre*; cum vero praesentat laicus, reputatur totaliter laicale, et tempus est *quadrimestre*; quoniam per talem alternativam videtur natura mixtorum esse redacta ad sua simplicia. — (c) Tempus hoc est *continuum*, quia quovis die ac loco ad praesentationem procedi potest. Incipit vero a die habitae

certae notitiae vacationis beneficii; et ne allegetur ignorantia in Dioecesibus receptum est, ut publico edicto Episcopus notificet vacationem beneficii et edoceat Patronos, ut si velint procedant ad praesentationem intra tempus a jure statutum, quo inutiliter elapso fiet locus liberae collationi. Hoc vero tempus legitime impedito non currit: Patroni autem est demonstrare legitimum interfuisse impedimentum. Et si hoc tempore praesentatio facta non fuerit personae idoneae, devolvitur ad institutorem potestas providendi beneficium pro illa vice; ne negligentia Patroni grave inferat praejudicium Ecclesiae vel beneficio vacanti. — Quid vero dicendum erit, si praesentatio non habeat locum ex discordia et lite Patronorum, vel exitum non habeat ex renuntiatione vel morte praesentati? Expendimus primo casum discordiae litis Patronorum, deinde alios. In discordia dicuntur esse Patroni, quando non habetur inter praesentatos praelatio, vel quia, si communitas habet jus-patronatus, non habetur majoritas absoluta votorum pro nemine ex nominatis; vel quia si sunt Patroni singulares, nullus habet majoritatem meritorum, nec plurimorum eligitur et approbatur assensu, etsi in hoc casu sufficeret majoritas relativa non autem absoluta. In hoc casu juxta dispositionem *cap. 1 et 2 h. t.º* in talibus Ecclesiis cessandum fuisset a divinis, tollendae Reliquiae, et claudenda ostia Ecclesiae. Sed his Canonibus derogatum est *cap. 3º et 27 h. t.º*, et statutum, ut Episcopus non differat post

tempus Patronis concessum ad praesentandum Ecclesiam de idonea persona providere, ita quod Patronis ex hoc non debeat in posterum praejudicium generari; quod idem est ac dicere pro illa vice Episcopum debere per liberam collationem Ecclesiam providere. — Lis vero in jure-patronatus potest tripliciter exoriri; nempe vel inter Patronos, vel inter praesentatos, vel demum inter Patronum et Episcopum. — In primo casu disputatur, an eis competat jus-patronatus nec ne; et tunc vel aliquis possidet, vel nemo. Si aliquis pacifice possidet, juxta dispositionem *cap. 19 h. t.* praesentatus a possessore obtinebit, ita ut etiamsi postea alius Patronus evicerit in judicio, institutus non debet ab Ecclesia propter hoc removeri; ita tamen ut ex hoc ei, qui de jure debet patronatum habere, nullum in posterum praejudicium generetur. Limitat Pirhing *h. t. num. 87* conclusionem in casu, quo lis finita sit intra tempus utile praesentationi, et vincat ille qui non possidebat; nam tunc debet praesentatio ejus praeferri, quia proprietas cognita absorbet causam possessionis ex *cap. cum dilectus de caus. posses. et propriet.* Neque huic dispositioni *cap. 19 h. t.* ulla variatio facta est per decretum Concilii Tridentini *sess. 25 cap. 9*, quo cautum est, ut nullum sit suffragium merae possessionis in jure-patronatus. Nam ut advertit Fagnanus in *cap. 19 h. t. num. 9 et seqq.* sumus nos in hypothesi, qua certum sit Ecclesiam esse juri-patronatus subjectam, et quaestio tantum est

cui competat jus-patronatus, cum Concilium Tridentinum loquatur de casu, quo dubitatur, an Ecclesia sit nec ne juri-patronatus subjecta, et Concilium negat sufficere ad probandam servitutem Ecclesiae solum factum possessionis. At si nemo possidet, tunc contendentibus Patronis, et litem protrahentibus ultra quadrimestre vel semestre, prout jus-patronatus est laicale vel ecclesiasticum, Episcopus Ecclesiam ipsam de persona idonea non differet providere, prout dicitur in *cit. cap. 3 h. t.* ita quod illi in hoc non debeat in posterum praejudicium generari, qui jus-patronatus evicerit. — In altero casu attendendus est terminus litis, et interim Ecclesiae providetur per Rectorem temporaneum, prout quoque hodierna praxis tribunalium ecclesiasticorum et Congregationum Romanarum habet, et qui vicerit, demum habebit. Ratio haec datur, quia non potest Patronis impropere discordia, nec casus est contemplatus in *d. cap. 3 h. t.*, ut probat Fagnanus in *d. cap. 3 num. 19*. — In tertio casu pariter non currit tempus Patrono, etiamsi lis protrahatur ultra quadrimestre vel semestre; sed per temporaneum Rectorem providebitur Ecclesiae; quia hic non est casus contemplatus in *cap. 3 h. t.* et quia secus daretur ansa excitandarum harum litium, ut praejudicium inferretur juribus Patronorum, ut exponit Fagnanus in *loc. cit. num. 18*. — Quod si praesentatio exitum non habeat sive quia praesentatus renuntiaverit, sive quia morte praeventus non fuerit institutus,

aliisque similibus causis, tunc cum non possit id imputari Patronis, dabitur illis aliud *quadrimestre* aut *semestre* a die renuntiationis vel obitus supra-dicti, ut procedatur ad aliam praesentationem; prout communiter Doctores in hac re sentiunt elegantes plures textus juris. — (d) Quoad modum praesentationis attendendum est ad personam, quae jure-patronatus gaudet, nempe an sit persona moralis, vel si sint singulares personae. Namque si est persona moralis actus praesentationis est actus capitularis, proinde ille erit praesentatus, in quem major pars in capitulum coadunatorum conveniat. E contra quando hoc jus spectat ad personas singulares, singulae proponunt separatim, et ille dicetur praesentatus, qui majorem numerum vocum pro se habet, habita ratione non solum ad numerum, sed et ad pondus seu valorem votorum, juxta ea, quae in antecessum notata sunt. — Hic loquendum est de praesentatione indigni, vel de plurium simultanea vel successiva ad idem beneficium nunc vacans praesentatione. — Si Patronus indignum praesentet, ejus praesentatio non solum non debet attendi, sed etiam in Patronum praesentantem aliquod damnum advenire posset. Convenit autem inter Doctores, ut pluribus ostendit Giraldi *op. cit.º part. 1ª sect. 578* distinguendum esse inter Patronum ecclesiasticum vel laicum: iterum an praesentatio indigni facta sit cum scientia indignitatis, vel ignoranter. Nam si Patronus ecclesiasticus scienter indignum praesentat, pri-

vatur ea vice jure praesentandi, et Episcopus libere de Ecclesia vacante aut beneficio disponit. Quae tamen poena non attingit Patronum laicum scienter quoque praesentans indignum, quique proinde antequam tempus utile quadrimestris elabatur, poterit idoneum praesentare. Si vero praesentatio indigni facta est ignorato defectu, tunc, sive Patronus sit ecclesiasticus vel laicus, non nocet, sed intra tempus utile valebunt idoneum praesentare, cum quod culpa vacat, in damnum vocare non conveniat. — Patrono ecclesiastico pariter ac laico licet plures simul, nempe una eademque vice ad idem beneficium praesentare, et tunc Episcopus juxta Gonzalez ad *cap. V h. t.º* illum instituet ex praesentatis, quem maluerit, posito quod reperti sint omnes idonei, prout alibi dictum est. At juxta Constitutionem *cap. 24 h. t.º* id successive facere, nempe prius unum praesentare, deinde alium, non licet nisi Patrono laico, et quidem non primum repellendo, sed alterum cumulando. Quod etsi ab Auctoribus nonnullis id pluries ei permissum esse affirmet Schmalzgrueber *h. t.º num. 202*, tamen semel et non amplius ei competere servatum fuisse in praxi tum in consulendo, tum in judicando, Auctor est Lambertini *de jure-patronatus part. 2º lib. 2º quaest. 2º artic. 23* apud Giraldi *loc. cit.º* — (e) Praesentatio Clerici in Ecclesia vel beneficio instituendi debet fieri Episcopo, etsi forte institutio ad aliam personam pertineat, ut clare praecipitur in *cap. 13 sess. 14 de reform. et cap. 9º sess. 25*

de reform. Concilii Tridentini, et ab Episcopo debent examinari, alioquin institutio ab inferioribus facta irrita erit et inanis. — (f) Demum si quaeratur quatenus sint jura praesentati, respondendum est nulla alia esse, nisi ut debeat institui in beneficio, si recognitus fuerit idoneus, nempe illis omnibus qualitatibus praeditus, quae tum ex jure communi tum ex lege fundatoris requiruntur.

11.º Ultimum articulum in tractatu de jure-patronatus Doctores inscribunt: « de probatione, derogatione, et amissione ejusdem. » — Circa quem articulum sequentia exponenda sunt: — (α) Concilium Tridentinum *sess. 25 cap. 9º de reform.* antiquis Canonibus admissas probationes juris-patronatus ex titulo originario admisit, nihilque duxit immutandum, nisi in probatione per praescriptionem. Nam quoad privatos quoscumque non admisit praescriptionem nisi temporis immemorialis per verba: « ex multiplicatis praesentationibus per » antiquissimum temporis cursum, qui hominum » memoriam excedat. » Pro personis autem potentioribus requisivit aliquid amplius, voluit enim ut « in iis personis vel communitatibus vel universitatibus, in quibus id jus plerumque ex usurpatione potius quaesitum praesumi solet, plenior » et exactior probatio ad docendum verum titulum » requiratur, nec immemorabilis temporis probatio » aliter eis suffragetur, quam si praeter reliqua ad » eam necessaria praesentationes etiam continuatae » non minori saltem quam quinquaginta annorum

» spatio, quae omnes effectum sortitae sint, authenticis scripturis probentur. » — (β) In causis juris-patronatus si quaeratur quinam sit iudex competens, distinguendum est an sit quaestio *facti meri*, vel potius *de jure*. Porro si primum, haec est causa, quae dicitur *mixti fori*, nempe tractari potest a iudice ecclesiastico, vel laico, ut sit locus praeventioni. Si vero est causa de jure, nequit videri nisi a iudice ecclesiastico, cum ex *cap. 3º de judiciis*, sit causa spiritualis. Quamvis in hac re fatendum sit factas esse plures concessiones principibus saecularibus praesertim in diversis pactis concordatis, aliisque indultis datis praesertim a Poenitentiaria Apostolica. Hodie proinde dici potest vix esse casum, in quo tales quaestiones videantur a iudicibus ecclesiasticis. — (γ) Derogatio juri-patronatus fit, quando non obstante Patroni jure, de provisione beneficii disponitur, eo non dante praesentationem. Porro Concilium Tridentinum pluries *cit.º cap. 9º sess. 25* regulam generalem proposuit « legitima patronatum jura tollere, praeque fidelium voluntates in eorum institutione violare aequum non esse. » Quibus verbis veram derogationem juribus Patronorum fieri non permisit a quocumque etiam Superiore ecclesiastico, qui subjectus esset auctoritati Concilii generalis. Dico *veram derogationem*; namque talis non est, cum Patronus vel pro ea vice, vel quoque in perpetuum amisit ex aliqua causa jus praesentandi. Hodie proinde jus derogandi patronatui nequit asseri nisi

Romano Pontifici, qui decretis Concilii Tridentini non subjicitur. Et revera quod Summus Pontifex derogare valeat juri-patronatus, quodcumque tandem illud sit, ex eo eruitur, quia hoc jus est simplicis concessionis ecclesiasticae; unde nil mirum esse debet, si de potentia absoluta illi possit derogare. — At quando a Pontifice dicetur juri-patronatus derogatum? Convenit inter Doctores hanc derogationem esse odiosam, proinde in reservationibus beneficiorum esse adhibendas clausulas, quae hanc omnino includant reservationem. Auctores proinde haec criteria proponunt praesertim Gonzalez *ad regulam octavam Cancellariae Apostolicae*: — 1° Clausula generali, qua Pontifex reservat sibi omnia beneficia, quae tali tempore vacatura sunt, *etiamsi de jure-patronatus existant*, veniunt solum reservata beneficia pertinentia ad Patronum ecclesiasticum, quia illi juri-patronatus facilius derogatur. Imo, ut notant alii Doctores, haec beneficia veniunt quoque sub reservatione, si omnia sunt reservata, etsi de patronatu non fiat mentio. Sed per hanc clausulam non reservantur beneficia pertinentia ad patronatum laicalem. — 2° Haec beneficia laicalis patronatus tunc cadunt sub reservatione, quando clausula apponitur, quod nempe Pontifex sibi reservat beneficia omnia ad cujuscumque praesentationem pertineant *etiam laicorum*. At sub hac secunda clausula non comprehenduntur beneficia subjecta summis principibus, aliisque dominis territorialibus. — 3° Hinc

est quod pro obtinenda vel intendenda eorum reservatione sunt necessaria verba specialia, *quae individualiter tales personas indicent*. Ista tria criteria habent in hoc fundamentum, quod derogatio est odiosa praesertim si respiciat personas laicorum, et a fortiori principum territorialium, qui se favore Ecclesiae praebuerunt liberales. De hac derogatione juri-patronatus laicorum loquitur *regula 42 Cancellariae Apostolicae*, cujus hic est tenor: « Item voluit, quod super quovis beneficio » ecclesiastico de jure-patronatus laicorum, non » expediantur litterae, nisi ponatur expresse, quod » tale beneficium tanto tempore vacaverit, quod » ejus collatio ad Sedem Apostolicam legitime est » devoluta, vel, quia tempus Patronis laicis ad » praesentandum a jure praefixum lapsum existat, » aut ad id patronorum ipsorum accedat assensus. » Et si per ipsum juri-patronatus hujusmodi de » rogari contigerit, juris-patronatus hujusmodi » mentio dispositive ac specificè et determinate, » non autem conditionaliter fiat, si illud ad aliquem » Regem, Ducem, Marchionem vel alium Principem pertineat. Et si de hoc in litteris provisionis, vel mandato de providendo de dicto beneficio similis mentio facta non fuerit, non censetur quomodolibet derogatum. » Atqui hodie vix est casus, quo ex gravissimis quoque rationibus fiat laicorum juri-patronatus derogatio. — (δ) Amittitur demum jus-patronatus pluribus modis. Et in hac re mihi videtur inter alios Doctores

sequendus esse Berardus, qui *op. et dissertat. cit.* cap. 8 tribus generalibus modis jus-patronatus amitti perhibet, nempe vel *fundatoris voluntate*, vel *facto patroni*, vel *ex natura rei*. Porro *ex fundatoris voluntate* amittitur jus-patronatus, cum fundator ab iis, qui in patronatu succedunt, peragendum quidquam voluerit adjecta poena caduci, et successor in patronatu fundatoris voluntatem non impleverit, et tunc Ecclesia vel beneficium suam consequitur libertatem perpetuam. Tunc enim Patronus non solum sibi, sed et aliis successoribus nocet, quia ad eos res vel haereditas transmittitur absque jure-patronatus exceptis duobus casibus, nempe in jure-patronatus familiari, et ecclesiastico: in familiari quidem, cum unusquisque de familia censeatur directe vocatus a fundatore; et in jure-patronatus ecclesiastico, in quo successor id non consequitur directe ab antecessore, sed quia succedit in praelatura, vel beneficio, vel officio, cui adnexum est jus-patronatus; proinde quisque utens sibi tantum nocet, non successor. — *Factum* vero *Patroni* potest esse duplex, nempe criminum et non-criminosum. Porro plura sunt crimina, ex quibus jus-patronatus amittitur, quae debent esse in jure canonico ad hanc inducendam privationem notata, et sunt — (1) caedes vel mutilatio Rectoris, aut alterius Clerici Ecclesiae patronatae per se vel per alium a Patrono facta *ex cap. 12 de poenis*: — (2) venditio seu translatio juris-patronatus simoniaca *ex cap. 9 sess. 25 Con-*

cilii Tridentini — (3) perceptio illicita fructuum beneficii, vel bonorum istius temeraria usurpatio ex Concilio Tridentino *sess. 22 cap. XI*. Qua ex ratione diximus in antecessum posse probari Gubernium italicum amisisse jura-patronatus — (4) haeresis, apostasia vel schisma, aut eorum favor, ut unanimiter tenent Doctores *argum. cap. fin. de haeret.* — (5) Crimen laesae majestatis, aliudve enorme inducens confiscationem bonorum, quibus est adnexum accessorie jus-patronatus. Animadvertit tamen Berardus certum esse quod Patronus unum ex talibus criminibus admittens perdit jus-patronatus, sed Ecclesia non semper evadit liberae collationis, quod non verificatur praecipue in jure-patronatus ecclesiastico, et etiam forte in gentilitio; crimen enim unius alteri successoris non praejudicat, quia hoc jus non habent directe ab antecessore, sed vel ab officio ecclesiastico, cui adnexum est, et in quo succedunt, vel directe a fundatore, a quo censentur omnes singillatim vocati. — Factum non-criminosum Patroni facit quoque deperdere jus-patronatus nempe: — 1° per non-usum longissimi temporis ad praescriptionem requisiti, et interim si bis saltem Rector Ecclesiae vel beneficiatus absque praesentatione est institutus, ut notant Auctores et singillatim Pirhing *h. t.º num.º 138*. Hic modus amittendi jus-patronatus, ut notant Doctores, non respicit Summos Principes; qui pariter in quavis nominatione jus non dependunt, si labatur qua-

drimestre, cum censeantur ex numerositate negotiorum impediti. — 2° Per renuntiationem huic juri (quando haec non noceat aliis post eum vocatis), ut habetur *cap. unic. h. t.º in VI.* — 3° Ex dato consensu absque reservatione juris-patronatus, ut illa Ecclesia uniatur alteri liberae collationis vel Monasterio ex *cap. 8º de constitut.* Qui casus a Concilio Tridentino non fuit vetitus; cum ipsum simpliciter interdixisset unionem beneficiorum liberae collationis cum beneficiis subjectis patronatui, quando illi servituti addicebatur beneficium antea liberum; non vero quando contrarium eveniret; prout in nostra hypothesi. — 4° Addunt Canonistae casum, quo Patronus sinat Ecclesiam suam fieri collegialem aut conventualem. — Sed tunc ex *cap. 25 h. t.º* non amittitur jus-patronatus, sed tantum jus praesentandi, nisi in hac venia danda fuerit jus praesentationis reservatum. — Demum *ex natura rei* aut *ex eventu* potest deperdi jus-patronatus. — Sunt vero duo casus, — 1º nempe si jus-patronatus sit gentilitium simpliciter vel private ex fundatoris explicita intentione, et extinguatur familia et gens. — 2º Si Ecclesia destruatur absque spe reaedificationis omnino, aut alia ratione dos et redditus pereant; tunc enim nihil magis naturale est, ut extinguantur servitutes pereunte fundo quem gravant.

TITULUS XXXIX.

// De Censibus, Exactionibus et Procurationibus.
3 partes

1.º Census, prout accipitur hoc titulo pluribus modis ab Auctoribus definitur. Mihi autem praefenda videtur definitio a Schmalzgrueber tradita utpote plenum conceptum census exhibens his verbis: « pensio annua, quae ex proventibus ecclesiasticis ab Ecclesiis, Monasteriis, et aliis locis piis debetur et solvitur Superioribus, Praelatis, Patrono, vel alteri personae in recognitionem subjectionis, vel ex alia justa causa. » — In qua definitione sequentia sunt notanda: — 1º quid detur; nempe datur annua pensio ex proventibus ecclesiasticis, proinde est vere census ecclesiasticus *annuatim* debitus, qui distinguitur ab aliis exactionibus non solitis reddi quolibet anno, et ab aliis praestationibus, quae non exhibentur ex re eccle-

Datur annuatim solvitur annuam qui sunt domini vel qui sunt talis...

siastica. — 2° Indicantur personae, quibus talis exhibitio fit, nempe Superiores, Praelati, Patroni, aliique, puta Capitulum Canonicorum, Monasterium etc. — 3° Revelantur personae, quae debent, nempe loca pia in genere, quae gaudent de proventibus ecclesiasticis, ex quibus isti census debentur. — 4° Demum indicatur causa, ex qua debentur; qualis causa non est tantum recognitio subjectionis, ut communiter in aliis definitionibus edicitur; sed vel recognitio subjectionis, vel alia justa causa. — Enimvero aliquando census pensio non est recognitio jurisdictionis, sed e contra datur census ab iis, qui a jurisdictione exempti sunt in signum non vigentis, sed antiquae jurisdictionis, quemadmodum aliquando ejus pensio nullam importat rationem jurisdictionis, sed est nihilominus alia justa causa. Revera in jure habemus exempla constituti census, qui non sunt statuti ad probandam subjectionem Episcopo eorum locorum piorum, quae eos solvunt. Sic Episcopus cum de consensu Capituli aliquas Ecclesias locis piis concedit, imponit censum ex *cap. 9° de his, quae fiunt a Praelatis*. Idem praestat, cum aliquam Ecclesiam eximit a sua jurisdictione ex *cap. 6° de religio. domib.* Patronus pariter censum reservare potest de consensu Episcopi in limine foundationis in Ecclesia patronata ex *cap. 23 de jure patronat.* Ex quibus liquet esse completam definitionem datam. — Census porro aliqui dicuntur *antiqui*, alii *novi*; et iterum alii *perpetui*, alii *temporanei*. ¹⁹ *Antiquus* est vel qui ipso jure de-

+ aliqdo datur, cu argumetur *dictum antiquum*
non — *actuali*

betur, vel qui ab initio impositus est, puta in consecratione Ecclesiae, in fundatione beneficii a Patrono reservatus; — *novus* autem qui nec ipso jure debebatur, vel ab initio non erat, sed deinde progressu temporis impositus, puta Ecclesiae postquam jam ipsa consecrationem receperit, beneficio, postquam jus-patronatus constitutum est. ²⁰ *Perpetuus* pariter, qui quoscumque loci pii aut beneficii possessores gravat: — *temporaneus*, qui aliquos tantum, puta praesentes percellit possessores. — Novum censum saltem perpetuum imponere nulli licet, nisi Romano Pontifici, eique tantum, licitum est antiquum augere, et quidquid ab alio contigerit attentari, viribus carere constituitur ex *cap. 7° h. t.* Omnes quin imo fraudes, quae hac in re intervenire possent, compescuntur *cap. 11, 13, et 15 h. t.* Quoad censum temporalem vero exceptis casibus contemplatis a Concilio Tridentino *sess. 21 cap. 6°, sess. 23 cap. 18°*, et excepto peculiari indulto a Pontifice concesso, tenet Giraldi *op. cit. part. 1^a sect. 584* Episcopis non licere. Recolantur quae diximus *tit. XII hujus libri*. Ad petendam autem solutionem census necesse esse allegare causam, quantitatem praestationis et tempus, quo solvendum est, habemus ex *cap. 5° h. t.*

2° Inter census antiquos praecipuum locum habet Cathedraticum, quod ex *cap. 9° h. t.* definitur, « certa pensio singulis annis Episcopo solvi consueta in signum subjectionis et honorem cathedrae, seu ad Episcopalis officii munera obeunda. »

Dicitur quoque synodaticum, quia in Synodo Dioeciesana solvebatur *cap. 2° h. t.*, et quia Synodi coadunabantur post Pascha, dictum est quoque *solutio paschalis*. Fusc de hoc loquitur Benedictus XIV in *Synod. Dioeces. lib. 5° cap 6° et 7°*, ibique demonstrat hunc esse antiquissimum censum, super cujus pensatione non admittitur a jure ulla legalis exceptio; cum debeatur etiam si fuerit contraria immemorialis consuetudo; quemadmodum enim nec immemorialis consuetudo quidem valet subditos eximere a subjectione; sic neque a cathedratici solutione liberare; etsi Concilium Tridentinum *sess. 24 cap. 3°* prohibuerit exigi in visitatione. Concilium enim Tridentinum eo loci non substulisse cathedraticum pluribus probat Fagnanus in *cap. 16 de offic. jud. ordin. num.° 48* allegans hac super re Congregationis Concilii decisiones. Deberi illud deinde probat ab omnibus Ecclesiis Episcopo subjectis, etsi Monasteriis exemptis pleno jure unitae sint, et ab omnibus beneficiatis. Quoad quantitatem vero illius pensionis posse inolescere consuetudinem, et modo majorem eam quantitatem, modo minorem facere, quandoquidem de hac quantitate non habetur communis omnium Dioecesium ratio, quin potius plane diversa. Ostendit demum non ab omnibus et singulis Ecclesiis vel beneficiatis ejusdem Dioecesis in eadem quantitate hunc censum esse pendendum, sed servata proportione reddituum, ut quod beneficium vel Ecclesia habeat redditus majores, proportionaliter in majori quan-

titate pendat; quod minores redditus, proportionaliter minus solvat. Datur autem Episcopo, in cujus Dioecesi Ecclesia vel beneficium statutum est, etsi fundi vel dos in alia sint Dioecesi constituta, cum hoc non sit onus praediorum seu fundorum, sed Ecclesiae vel beneficii.

3.° Inter exactiones a jure permissas computatur subsidium charitativum; quod definiri solet: « quaedam exactio extraordinaria propter manifestam et rationabilem causam cum charitate a subditis postulata. » Quidquid vetera jura hac super re statuerint; hodie circa subsidium hoc ab Episcopis exigendum attendere oportet, quod decisum est a S. Congregatione Concilii in *Gerundensi subsidii charitativi*. — Cum enim quaesitum esset: — I An Episcopi pingues redditus habentes, quia videlicet nedum congruam ipsis juxta formam Sacri Conc. Trident. assignatam, verum etiam duplicatam, ac longe majorem habeant, possint exigere charitativum subsidium a suis dioecesanis. — II An Episcopi, quibus pro exigendo charitativo subsidio non obstat sufficientia, sive exuberantia reddituum, possint illud exigere, nulla urgente causa, et inconsultis eorum Capitulis. — III An possint illud exigere a Clericis beneficiatis, qui licet aliquos redditus habeant, non consistentes in distributionibus quotidianis, nihil tamen eis superest ultra honestum victum; imo tales redditus vix sunt sufficientes ad praedictum eorum victum. — IV Supposito, quod, consultis eorum Capitulis,

*Wes quod
Concilio
non est
convenit*
*magis fuit facti a hospitalibus mag. ca. comitibus quibus
habent seorsum Charitativum*

dictum charitativum subsidium exigere valeant, possint illud exigere a suis Clericis beneficiatis, non habentibus alios redditus, quam distributiones quotidianas. — V In casibus, in quibus permissum est exigere charitativum subsidium, quanta debeat esse illius quantitas. — *Die 17 Februar. 1663* rescriptum fuit: — Ad I, II, III, Negative. — Ad IV, Explicandam naturam harum distributionum. — Ad V, Esse arbitrariam pro qualitate indigentiae, dummodo moderatam, et non onerosam, *lib. XXIII Decretor. pag. 435.* — Ex quibus dignoscitur non posse peti ab Episcopo, nisi audito Capitulo, seu ejus consilio antea requisito. — His vero addenda est dispositio Innocentii XI promulgata sub *die 8 Octobris 1678*: « Subsidium charitativum in illis Dioecesibus, in quibus solet exigi, exigatur una vice tantum, nempe in ingressu primo Episcopi juxta taxam antiquam jam a quadraginta annis inductam, nec attendatur si deinde aliae variationes recentiori tempore factae sunt; postquam unicam exactionem amplius non exigatur quocumque praetextu, etiam sub voluntariae donationis nomine. » Ex quo dignoscitur quoad subsidium charitativum posse locum habere praescriptionem. — Alia exactio Sanctae Sedis nomine habuit antiquis temporibus locum, et hodiernis ex circumstantiis revixit, quae dicitur *denarius Sancti Petri*. Ejus origo est antiquissima sicut et nomen, et inolevit primum in Anglia, unde denarius S. Petri dicebatur *denarius*, qui a quolibet Anglo pende-

Quia tunc exigim sacrorum subsidium 5. g. pro annatis, sed ornamento.

Cathedrae Apostolicae in honorem B. Petri: Baroni-
us in annalibus anno 710. Ina Rex Anglorum
anno 725 cum Romam venisset visitaturus sepul-
 chrum Apostolorum ad formam annui census illum
 pendendum jussit, constituens, ut deinde ipse et
 sui successores ac quaelibet sui regni familia, com-
 prehensis omnibus etiam Episcopis et Prioribus ac
 Ecclesiis, excepta solummodo Ecclesia S. Albani
 B. Petro dicata, in futurum obligarentur denarium
argenteum quotannis solvere Ecclesiae Romanae,
 confirmantibus deinde Offa I et Offa II Regibus. —
 Ut tollerentur gravatoriae exactiones lata est Epi-
 stola Alexandri III relata in *cap. 12 h. t.* — Per-
 mansit hoc tributum, licet aliquando solutio fuerit
 interrupta ex temporanea nonnullorum Regum op-
 pressionem, usque ad Enricum VIII, sub quo Anglia
 recedens a communione cum Cathedra B. Petri et
 a fide, cessavit tributum hoc pendere anno 1534.
 Et licet sub Maria duabus annis fuerit restitutus,
 demum sub Elisabetha disparuit anno 1558. — Suetia
 quoque sub Olao Rege, Polonia, aliaeque gentes
 pariter dederunt hanc oblationem. Nec defuit Gal-
 lia, de qua habemus in Ep.^a ult.^a Gregorii VII:
 « dicendum est autem omnibus Gallis, et per veram
 obedientiam praecipendum, ut unaquaqueque domus
 saltem unum denarium annuatim solvat S. Petro,
 si eum recognoscunt patrem et pastorem suum
 more antiquo. » Quo sub respectu mansit tributum
 seu census ordinarius. Sed deinde invaluit quoque
 ut tributum extraordinarium, prout habetur ex re-

scripto Caroli VI, quo statuit: « quod si Ecclesia » Romana caeterarum Caput, patrimonio sorte ali- » qua disturbaretur, quominus uteretur, caeteras » monere debebat Ecclesias, excitare, adhortari, et » requirere de subsidio charitativo, quod eidem Ec- » clesiae Romanae annui deberet. » Et revera tem- pore Alexandri III anno 1164 habemus pastorales Epistolas Episcoporum, quibus invitabantur fideles ad succurrendum necessitatibus peculiaribus S. Sedis, prout videre est apud Natalem Alexandrum *Histor. Eccles. saecul. XV, dissert. IX art.º 6.º* Atque hanc ultimam formam *subsidii charitativi spontanei et vere popularis* retinuit nostris temporibus *denarius S. Petri*. Qua ubere largitione non solum prospectum est et prospicitur sustentationi Romani Pontificis ejusque Aulae, sed et datur modus, quo valeat Summus Pontifex universalis Ecclesiae necessitatibus occurrere, et praesertim tutandae ac propagandae orthodoxae fidei, atque educationi religiosae catholicae juventutis provehenda. Haec autem pensio denarii S. Petri hodie non solum habet rationem temporalis auxilii, quo filii erga Patrem et subditi erga supremum Rectorem tenentur, sed est solemnis protestatio totius catholici Orbis, qui vult intacta esse jura Romani Pontificis circa dominia temporalia Ecclesiae Romanae, ad quorum renuntiationem illum adigere moderni politici Italiae moderatores moliti sunt vili aliquorum denariorum oblatione, et timore mendicitatis, si renueret.

4.º Venit demum loquendum de procuratione. Procuratio definitur: « praestatio eorum, quae Episcopo aliisque Praelatis actualem visitationem obeuntibus cum Notario et decente comitatu sunt necessaria ad competentem victum et habitationem ab iis, quos visitant, praestanda. » — Quae ut recte intelligantur, notantur sequentia: — (a) Debitam esse procurationem satis aperte indicant *cap. 6 h. t.º* et *cap. 12 h. t.º in VI*. Et quia procuratio datur pro expensis in visitatione factis, hinc in d.º *cap. 6º h. t.º* ponitur modus immoderatis expensis. Quas expensas coercuit Concilium Tridentinum *sess. 24 cap. 3º* generali monitione edicens, ut Episcopi modesto contenti sint equitatu et famulatu, ac quam celerrime visitationem absolvant; et hanc rem S. Congregatio relinquendam esse censuit conscientiae et prudentiae visitantium; ut in pluribus decisionibus citatis a Giraldi *op. cit.º part. 1ª sect. 583*. Ex *cap. 2º h. t.º in VI* prohibitum est recipere procurationem in moneta; sed deinde *cap. 3º h. t.º in VI* optio data est solventibus, ut in pecunia vel in victualibus solverent, quod servari voluit Concilium Tridentinum in d.º *cap. 3º* per verba: « *Sit autem in optione etc.* » Procuratio haec juxta *cap. 21 h. t.º* poterat peti et debebat reddi etiam bis in anno, si bis facta esset visitatio; at ex responsis S. Congregationis Concilii ita res determinata est, ut semel in anno praestetur, etiamsi Episcopus plus semel visitet, et ita ut ab ultima procuratione praestita debeat

praeterlabi annus ad aliam praestandam; ita ut duplicata intra annum visitatione non duplicetur procuratio, prout in causa *Plurium diei 16 Januarii 1723*, et *Policastren. Procuration. diei 1 Junii 1737*. — Demum dicendum est, quod antiquitus ad abolendam procurationem nihil valere admittebatur consuetudo; sed deinde Concilium Tridentinum consuetudini respexit, quae si interfuisset praescribens, ut nihil deberetur, nihil petendum hac re foret; prout patet ex *cit.º cap. 3.º*. — (b) Juxta vigentem legislationem procuratio est pro expensis visitationis expresse, hinc licet in *cap. 24 h. t.º* dicatur debita procuratio etiamsi Ecclesiae visitatae sint in suburbiis; hodie tamen ex mente Concilii Tridentini in *cit.º cap.º* quoad illas Ecclesias suburbiorum, sicut quoad Ecclesias Civitatis episcopalis non debetur dicta procuratio, cum nullae fiant expensae; imo neque debetur, etiamsi consuetudo esset illas solvendi, prout decisum est a S. Congregatione Concilii in *Castrensi Procurationis diei 17 Novembris 1685*. Imo nec eas potest exigere visitando Clerum et Oppidum Dioecesis, si aliqua parte anni ibi Episcopus consideret ex decisione S. Congregationis in *Policastrensi Procurationis diei 5 Junii 1637*. Praeterea non recipit a parvis Conventibus prius suppressis, deinde restitutis, si visitentur ex decreto S. Congregationis approbato ab Alexandro VII *die 25 Junii 1664*. Recipit vero ab aliis tum saecularibus tum regularibus, si eorum Ecclesias visitat jure

*Episcopus semel tantum (Conc. Trid.) in anno exigere
procuracionem, sed tantum pluribus vicibus
procuracionem
non datur.*

ordinario, nisi ab hac pendenda procuratione eximantur privilegio expresse, exceptis hospitalibus, aliisque pauperibus Ecclesiis, atque oratoriis privatis ex *cap. ult.º h. t.º* — (c) Visitare autem Dioecesim et populum sibi commissum antiquis Canonibus indictum erat ex *cap. 6º h. t.º* et *cap. 1º h. t.º in VI*. Cardinalibus in suis titulis, Archiepiscopis in provincia, Episcopis in sua Dioecesi, Vicariis Capitularibus, Archidiaconis et Decanis. Sed hodie Cardinales in suis titulis cum non habeant subjectum populum, et in Clerum nullam exercent jurisdictionem nisi in iis, quae respiciunt servitium chori, non complent amplius visitationem. Vix pariter casus est, quod ea compleatur ab Archiepiscopis in provincia, cum Concilium Tridentinum *sess. 24 cap. 3º* cohibuerit eorum facultatem sub limitibus, quod antea plene visiterint suam Dioecesim, et causa sit cognita et probata in Synodo provinciali, quae raro cogitur. Hinc visitatio completur per Episcopos, quibus indictum est a Concilio Tridentino *loc.º cit.º* ut anno eam compleant, et si Dioecesis satis lata est, biennio vel per se ipsos, aut, si impediti fuerint, per Vicarios Generales aliosve ecclesiasticos idoneos viros visitatores; tempore sedis vacantis per Vicarios Capitulares cum limitationibus alibi apposis. Completur demum ad Archidiaconis in suo archidiaconatu, et Decanis, quibus ex antiqua consuetudine licet cum limitationibus ab eodem Tridentino Concilio positus, nempe quod Notarium acci-

pian ab Episcopo, quod ejusdem peractae visitationis reddant Episcopo rationem, et demum quod peracta ab eis visitatio nequeat obstare, quominus et Episcopus ejusve Delegati complere eam valeant in iisdem locis. Visitabit vero Episcopus omnes Ecclesias et oratoria publica ejus auctoritate erecta; nec non Ecclesias Monasteriis unitas, Parochiales, aliasque, de quibus longum catalogum escribit Giraldi *op. cit.º part. 1ª sect. 597* additis quoque declarationibus S. Congregationis super Statu Regularium; quamvis ab iis, quas jure delegato visitat, procurationem non habeat, ut dictum est. — Procurationem integram accipit Episcopus, dimidiam vero Vicarius Capitularis ex decisione S. Congregationis Concilii in *Ostunen. Procurationis diei 23 Julii 1708*. Ex eadem ratione mediam recipiunt Vicarii Generales, qui Vicario Capitulari equiparantur, et Archidiaconi et Decani, pro quibus permanet dispositio *cap. 6 h. t.º*, si juxta Concilium Tridentinum eis ex antiqua consuetudine visitare liceat. Nuntii vero et Legati a latere, de quibus agitur in *cap. 17 et 24 h. t.º* non recipiunt visitantes procurationem, cum eis sumptus exhibeantur a S. Sede.

5.º Praeter has jam descriptas novae taxae a Superioribus ecclesiasticis imponi nequeunt. Sed haec prohibitio ex *cap. 10 h. t.º* extenditur ad laicos, qui supremo in terris dominio carerent, quemadmodum in *Bulla Caenae* applicatur ad omnes, qui in terris suis pedagia et gabellas novas

imponerent vel augerent, praeterquam in casibus a jure, vel ex speciali Sedis Apostolicae licentia permissis, sub poena excommunicationis. Sed hodie ista vetita quoad personas laicas obsoleverunt, cum Apostolica Sedes a talibus reprehendendis abusus abstinendum esse censuerit ad declinandam aemulationem civilis potestatis, non sine magno tamen damno populorum.

consecratione in hoc titulo agendum est, prout fert rubrica. *Nulla rite consecratio ad man. extra. abiq. altaris*

2.º Antiquissimo more fundato super praxi Apostolica, receptum est, ut notant Doctores, deinde lege quoque scripta a Sylvestro Papa decretum, ut Ecclesiae vel templa per signationem et unctionem parietum cum oleo sacro ab Episcopo consecrarentur; aut dilatâ ex aliqua causa hac consecratione, saltem per abluitionem parietum exterius et interius cum aqua lustrali benedicerentur. Prima dicta est *solemnis dedicatio* seu *consecratio*, alia dicta est *minus-solemnis dedicatio*, vel *benedictio*, et caeremoniae referuntur in Pontificali Romano in titulo *de Eccles. didicat*. Advertit autem Giraldi *op.º cit.º part. 1ª sect. 599*, quod cum successu temporis multiplicatus esset numerus Ecclesiarum, et alicubi Episcopis ob multigenam aliorum curam nimium difficile et gravosum evaderet singulas Ecclesias solemniter consecrare, suffecta paulatim est simplex quarundam benedictio in consecrationis subsidium, praesertim Ecclesiarum minus principalium, publicorumque Oratoriorum, quae consecrari etiam possent, etsi soleant praecise benedici. Et quia benedictio Ecclesiae solum fit in subsidium, ac per modum provisionis usque quo fiat ejusdem consecratio; hinc de die benedictionis Ecclesiae non fit *anniversarium*. Peracta deinde consecratione non attenditur amplius benedictio, et agitur anniversarium de consecratione ex Decreto S. Congregationis Rituum in *Ferentina diei 27 Novembris 1706*.

TITULUS XL.

De Consecratione Ecclesiae et Altaris.

1.º Nomine Ecclesiae hic venit « aedes sacra, in qua fideles ad adsistendum sacrificio christiano, praedicationem divinam audiendam, et ad percipienda Sacramenta conveniunt. » Ex qua definitione Conventus christiani formaliter exhibentur. — Altare vero definitur « locus in quo licet offerre; » cum juxta catholicam praxim imitantem in hoc liturgiam veteris foederis, sacrificium nequeat offerri nisi in loco ad hoc deputato. Equidem verum est, quod in novo foedere non est unus locus, seu templum, extra quod non liceat sacrificium peragi, sed in omni loco offertur Deo oblatio munda; verum hic quicumque locus debet ritu sacro prius initiari, et tunc licet in eo offerre. De utriusque

Porro istius dedicationis minister est Episcopus loci, in cujus Dioecesi erecta est Ecclesia, ex *can. 26 caus. 16 quaest. 7^a in Decreto ex cap. 1^o de Relig. domib. et cap. 2^o h. t.* Atque adeo Episcopo Ordinario reservantur, ut neque Vicarius Generalis id valeat explere, etiamsi Vicarius Generalis per accidens insignitus esset caractere episcopali; quoniam Vicarius Generalis vigore solius generalis commissionis gerit vices sui Episcopi dumtaxat in exercitio jurisdictionis, cujus limites excedit consecratio Ecclesiae; haec enim si non est actus ipsius Ordinis episcopalis, tamen, teste Cardinali Petra *tom. 4^o Comment. ad Constitut. 6^{am} Urbani IV*, est actio jure canonico reservata ipsimet personae Dioecesani, quam proinde Vicarius Generalis nec ipse exequi etsi insignitus caractere episcopali, nec eandem potest alteri committere ex se; cum habeat mandatum in jurisdictione limitatum, quod non includat graviora negotia, nisi speciali delegatione haec ei data sint. Atque, ut exponit Giraldi *op. cit. 1^a sect. 598*, regula de reservandis dedicationibus Ecclesiarum Episcopo dioecetano valet etiam pro Ecclesiis Regularium, Ordinumque exemptorum, quae sunt in illius Dioecesi, nisi habeatur speciale indultum Sedis Apostolicae, de quo loquitur Benedictus XIV *De Synod. dioeces. lib. 13 cap. 15^o num. 2^o et seq.* Vel nisi interveniat casus contemplatus a Leone X in Constit. « *Dum intra* » *diei 19 Decembris 1516*, quo edicitur, ut si Regulares ter rogaverint Epi-

scopum dioecesanum, ut dignetur eorum Ecclesiam consecrare, et is sine legitima causa recusaverit, vel, ea cessante, differat ultra quadrimestre, posse Regulares quemcumque alium Episcopum requirere, ut eam consecrationem impertiatur. Quam Constitutionem vigere adhuc hodie gravibus argumentis defendit Giraldi *loco cit.* afferens plures Doctores, praesertim Barbosa, Passerinum et Ferraris. Quae pariter regula juxta eundem Auctorem comprehendit Metropolitanos quoscumque respectu suffraganei Episcopi, in cujus Dioecesi Ecclesia consecranda constructa fuit, etsi Metropolitanus sit Cardinalis S. R. E., et affert decisiones S. Congregationis Concilii relatas a Gallemart. — Tertiam exceptionem faciunt nonnulli Doctores, nempe de casu, quo Ecclesia consecranda, existat in territorio alicujus Praelati, qui sit vere *Nullius*, cum territorio nempe proprio in spiritualibus et temporalibus; in qua specie consentiunt unanimiter Auctores, quod talis Praelatus Ordine episcopali non insignitus valeat requirere quemcumque Episcopum, ut Ecclesiam consecret, irrequisito Episcopo viciniore, et consentit Cardinalis Petra *loc. cit. num. 48*. Sed hic non est casus exceptionis, verum ingreditur in regulam generalem; namque talis Praelatus vel Abbas in casu dicitur et est Ordinarius territorialis, ac quasi-Episcopus in territorio abstracto a quacumque alia Dioecesi. — Hodie tamen propositae regulae debet fieri exceptio quoad Cardinales S. R. E. in suis titulis; ex de-

cisione Congregationis peculiaris a Summo Pontifice Leone XIII designatae, quae *die 25 Januarii* cum propositum fuisset dubium: « Utrum in Ecclesiis tituli Cardinalitii jus consecrandi altaria spectet Eminentissimis Cardinalibus earumdem titularibus, vel potius Eñno Cardinali Urbis Vicario? unanimes suffragio responderunt: *affirmative ad primam partem, negative ad secundam*; quae decisio fuit a Summo Pontifice Leone XIII confirmata. » — Cujus decisionis haec videtur esse ratio. Etsi enim Cardinalium Tituli hodie careant populo, et in iis, in quibus adhuc subsistit Clerus, nullam aliam exercent Cardinales jurisdictionem, quam illam, quae concernit servitium chori juxta Constitutionem Innocentii XII *Romanus Pontifex 5 Kalendas Octobris 1692*; videtur tamen servata auctoritas Cardinalium Titularium coarctata ad Ecclesias materiales tantum, in quibus obtinet in praxi, quod Cardinales in eis incedant cum Rocchetto discooperto et mozzetta eo modo, quo in signum jurisdictionis incedit Papa per universum orbem et Episcopus in sua Dioecesi, habeant baldachinum erectum, sedeant sub throno etiam cum circulo et subordinata assistentia Episcoporum et Praelatorum, solemnem benedictionem impertiantur, et Indulgentias centum dierum publicent, etiamsi sint Cardinales Diaconi, prout decisum refert Cardinalis De Luca in *adnot. ad discours. 34 de Jurisdiet.* per S. Congregationem Rituum. Unde non debet incongruum reputari, si et hoc eis servatum sit

in antiquae jurisdictionis signum, quod ad eos spectet consecratio Ecclesiae Titularis et altarium in ea existentium.

3.º Supradicti Ordinarii locorum hanc Ecclesiarum dedicationem vel per se complere possunt, si caractere episcopali insigniti sunt, vel alii complendam demandare; qui extranei nisi delegationem susceperint illicite in alterius Dioecesi, hunc actum praestant juxta disposita per Concilium Tridentinum *sess. 6ª cap. 5º de reform.* — At jam ab antiquo quaerebatur: an Ordinarii locorum hanc delegationem dare valeant quibuscumque etiam simplicibus Sacerdotibus, et quid juris de validitate dedicationis ab istis peractae cum hac delegatione? Ad claritatem responsionis dispiciendum est inter dedicationem solemnem seu consecrationem, et benedictionem. Episcopus pro impertienda benedictione potest delegare quoque simplicem Sacerdotem, sed pro concedenda consecratione Ecclesiarum nequit deputare nisi alium, qui insignitus sit caractere episcopali. Et quod servatur in dedicatione, servari quoque debet in reconciliatione Ecclesiarum. Neque Episcopus Ordinarius loci poterit sibi auctoritatem asserere ex consuetudine, quae quantumvis longa non respicitur, imo potius habetur corruptela, atque acta a talibus Sacerdotibus non sustinentur, seu sunt invalida. Solus Romanus Pontifex potest indulgere, ut simplex Sacerdos Ecclesiam consecret et ab Episcopo consecratam reconciliet, prout exemplis demonstrat

Benedictus XIV in *cit.*° loco, et notatur in Rubrica Ritualis Romani. Haec omnia exponuntur in *cap.* 9° *h. t.*°, et invocatur principium juris, nempe: « licet Episcopus committere valeat quae jurisdictionis existunt; quae Ordinis tamen episcopalis sunt, non potest inferioris gradus Clericis demandare. » Atqui hoc recte intelligendum est. In dedicatione Ecclesiarum tam solemni, quam minus-solemni, quemadmodum in reconciliatione earumdem nos nihil habemus institutionis divinae, sed omnia sunt ex ecclesiastica institutione, quia dedicatio Ecclesiarum non est Sacramentum, sed ad instar Sacramenti adinventum et constitutum ab Ecclesia. Porro ex eadem institutione ecclesiastica factum est, ut dedicatio solemnis Ecclesiae seu consecratio haberetur ut actus Ordinis episcopalis, prout et reconciliatio Ecclesiae jam consecratae; ast dedicatio minus solemnis seu benedictio et reconciliatio Ecclesiae benedictae recensita fuit inter actus Ordinis mere sacerdotalis. — Ex quo sequitur: — (a) Episcopis Ordinariis locorum permissum esse, ut hos ultimos actus delegare valerent simplicibus quoque Praesbyteris, non sic autem de prioribus actibus: — (b) neque ad aliter faciendum Episcopos posse se tueri consuetudine licet longa, cum ex dictis talis consuetudo sit irrationabilis, seu opposita fundamentalibus principiis canonicis: — (c) actus ab istis simplicibus Sacerdotibus contra praescripta editos de se posse considerari invalidos, aut saltem invalidandos, sed e converso posse quo-

que *misericorditer tolerari*, prout exhibet Pontifex in *cit.*° *cap.* 9° — (d) E converso quando aliquis insignitus Ordine episcopali id praestat etiam sine venia Dioecesani, etsi illicite agat, eum tamen valide complere consecrationem etc. — (e) Demum Romanum Pontificem, qui institutis canonum non ligatur, impune ex causis sibi visis sufficientibus valere hunc actum delegare simplicibus quoque Sacerdotibus. — Porro Episcopus hanc faciet consecrationem die vel festo vel feriato ex *cap.* 2° *h. t.*° Requiritur ad consecrationem Ecclesiae positionem Reliquiarum aperte colligitur ex generali septima Synodo, quae *can.* 7° depositione dignum et tamquam transgressorem ecclesiasticarum traditionum eum puniendum iudicavit, qui deinceps templum sine Reliquiis consecraret, prout refert Cardinalis Bona *Rer. liturg. lib.* 1° *cap.* 19 § 5° Missam Episcopus consecrans celebrabit, quae Missa est de praecepto celebranda ex *Epis.* 2° Benedicti XIV *ad Engelbertum Abbatem Monasterii Campidonensis diei 16 Novembris 1748*. Quae Missa celebranda est ab ipso consecratore, nec alteri valet committi sine licentia Summi Pontificis. At haec licentia de caetero potest praesumi, quando consecrans nimis est defatigatus, quod quasi per episcopam indicat Pontificale Romanum. — Substantialis vero ritus consecrationis consistit in liniendis Sacro Chrismate duodecim Crucibus insculptis vel depictis in parietibus cum prolatione verborum « *Sanctificetur et consecretur hoc templum in nomine*

Patris et Filii et Spiritus Sancti Amen. » In quo semper melius dignoscitur Ecclesiam hunc consecrationis Templorum ritum instituisse ad instar ritus Sacramentalis. Atque hoc adeo verum est, ut si hic ritus cum formula positus sit, et deinde deficiat Episcopus consecrans, per alium functio esset continuanda; verum si ante haec deficeret Episcopus, tota functio sacra esset de novo repetenda ex Responso S. Congregationis Rituum in *Ulissiponensi diei 12 Aprilis 1614.* — Caeteri ritus consecrationis videri poterunt in Pontificali Romano, sicut pariter et benedictionis. — Haec duo tantum nunc debent adverti: — 1° Episcopum non debere devenire ad consecrationem Ecclesiae, nisi ea sit sufficienter dotata, secus illicite aget, ut constat ex *cap. 8 h. t.*, atque saltem in defectu Patroni tenebitur ad supplendam ejus dotem *argum. can. 1 caus. 1 quaest. 2^a in Decreto* ducta similitudine ex *cap. 2^o de praebend. et dignitat.* — 2° Consecrationem Ecclesiae debere fieri *gratis*, nec quidquam pro ea exigere, sub crimine simoniae ex *cap. 10 de simon.* Non est tamen insuetum aliquid sponte oblatum ab iis accipere, quorum rogatu Ecclesia consecratur, aut canonicas procuraciones acceptare, aut demum imponere censum pro exhibita consecratione, qui tamen census effugit quamcumque suspicionem simoniae, si valoris aut minimi aut spernendi omnino est, ut potius ejus oblatio quam pretiositas attendatur.

4.° Ecclesia semel consecrata amplius con-

secranda non est, quia ejus consecratio manet; in quo habetur alia similitudo inter res Ordinis ex institutione divina, et hujus ritus consecrationis. Sicut enim Ordo una vice tributus amplius reiterari nequit absque piaculo, quia imprimit characterem, sic semel tributa consecratio non est amplius iteranda, quia manet, secundum canones. Ast subditur limitatio, nempe nisi Ecclesia consecrata *execretur* vel *polluatur*, quo casu aut novae consecrationi fit locus, vel reconciliationi. Aliud porro est si non constet vel dubitetur, an Ecclesia fuerit consecrata, quia tunc est locus donandae consecrationis ex *can. 16 et 18 dist. 1^a de Consecrat.* Probari autem potest intercessisse consecrationem vel signo, aut scriptura, testibus, vel alio modo ad probationem faciendam idoneo. Porro execratio Ecclesiae cum dicitur locum habere, tunc Ecclesia nova eget consecratione. — Casus duo notantur ab Auctoribus, in quibus execrata est Ecclesia, ut nova egeat consecratione. *Primus casus est si parietes* comburantur, vel devastentur, aut abradantur ex toto, vel ex majori parte, etiamsi parietes non corruerint ex *can. 20 distinct. 1^a de Consecrat.*; nam consecratio censetur adhaerere parietibus, seu melius externae crustae parietum: hinc si pars superior Ecclesiae seu tectum corruat, illaesis remanentibus parietibus, Ecclesia non debet de novo consecrari ex *cap. 6^o h. t.* — *Alter casus est, cum Ecclesia aut casu fortuito aut studio destruat* *vel ex toto vel ex parte majore quoad pa-*

rietes simul et semel ex cit.º canone et indicata ratione. Dicimus *simul et semel*; si enim aliqua pars destruitur et reficitur, et successive alia, tunc non dicetur Ecclesia execrata. — Longe numerosiores sunt casus pollutionis seu violationis Ecclesiae. Pollutionis seu violationis Ecclesiae conceptus est, quod ea sit « injuria facta loco sancto, per quam hic maculatus apparet et minus decens ad divina celebranda secundum canones, donec sacris aliquibus ritibus reconciliatus fuerit, et macula deterisa. » Quia vero sumus in re positiva, illi tantum casus recenseri valent, qui a canonibus sunt designati. Et iterum, quia hic sermo est de populi christiani aestimatione, prono alveo fluit, has actiones injuriam irrogantes non nocere, nisi sint notoriae et publicae, prout communis Doctorum sententia tenet. Non enim actibus quibuscumque inquinari Ecclesia potest, sed si illi actus in ea interveniant, populus horrorem habet, et putat a sanctitate loci alienum ibi divina celebrari, usque dum expiatoriis ritibus sublata macula non sit. — Casus vero pollutionis a jure sequentes indicantur: — 1º Per sepulturam infidelis seu non baptizati ex *can. 27 de consecrat. dist. 1.ª* Si saltem charitas eum fidelibus non conjunxit, et fides, prout benignior Canonistarum sententia tenet de catechumenis, quorum tumulatione non censetur polluta Ecclesia: — 2º per sepulturam excommunicati vitandi, qui post Constitutionem Martini V editam in Concilio Constantiensi sunt

soli publici percussores Clericorum et nominatim excommunicati; ut receptum est nostris hodiernis moribus, aut melius correctum *cap. 7 h. t.º*; quia in iis tantum verificatur principium: « quibus non communicavimus vivis, nec communicemus defunctis. » — Quaesitum apud Auctores est, an sepultura nominatim interdicti polluat Ecclesiam? Et sententiã meliori receptum est, quod quamvis interdicto hujusmodi vetita sit in Ecclesia sepultura ex *cap. 20 de sentent. excommun. in VI*; imo debeat exhumari, tamen per hanc non polluitur Ecclesia, quia hoc in canone non legitur, et sumus, prout diximus, in materia mere positiva. — 3º Per consecrationem Ecclesiae ab Episcopo excommunicato vitando factam, ut docent communiter Doctores ex interpretatione *cap. 4 h. t.º* et *cap. unic. h. t.º in VI*, tamquam quae consecratio valida, infecta tamen est a principio aliqua macula, quae per expiationem tollenda est. — 4º Per homicidium voluntarium directe intentum intra ipsam Ecclesiam perpetratum, etiamsi sine ulla sanguinis effusione, sed puta suffocatione vel percussione completum sit ex *can. 19 de consecrat. dist. 1ª* et ex *cap. 4º h. t.º* Neque necessarium est, quod tale homicidium sit injustum; nam licet hoc esset justum, nihilominus injuria semper fit loco sacro, qui deputatus ad cultum divinum non debet esse executioni justitiae addictus. Adde juxta auctoritatem glossae in *cap. un. h. t.º in VI v. sanguinis* cum sententia omnium Doctorum pollui

Ecclesiam etiamsi martyr in odium fidei in illa trucidetur. Etsi enim talis mors in conspectu Domini sit pretiosa, atrox tamen delictum in ejus nece commissum est; attamen in reconciliatione locus, ubi sanguis martyris effusus est, non erit abluendus. — Per homicidium pariter dicitur polluta Ecclesia, si vulnus lethale quis in ea recipiat, etsi deinde extra Ecclesiam moriatur. — 5° Per vulnus in Ecclesia inflictum sub gravi imputabile cum sanguinis humani effusione ^{et hoc non est} *ex cit. juribus, addito cap. un. h. t.° in VI*, etsi Ecclesia hoc sanguine non maculetur. — 6° Demum ex voluntaria humani seminis effusione in Ecclesia facta ^{Cum scandalis} *ex cap. 5° de adulter. et cap. unic. h. t.° in VI*. Ubi notat Pirhing *h. t.° num.° 12°* cum communi Doctorum neque actum conjugalem extra casum periculi incontinentiae in Ecclesia licite exerceri. Quois casibus recensitis advertendum est quod edicitur in *cap. unic. h. t.° in VI*, nempe polluta Ecclesia, pollui quoque coemeterium, si Ecclesiae est contiguum; sed polluto coemeterio non polluitur Ecclesia, quamvis contigua; quia coemeterium est accessorium Ecclesiae, et accessorium sequitur principale, non principale accessorium. — Pollutio vero coemeterii importat, ut nequeant in illo tumulari fidelium corpora ante reconciliationem, sed si coemeterium pollutum sit per violationem Ecclesiae, tunc per istius reconciliationem, ipsum quoque reconciliatur; prout sumunt Doctores ex interpretatione *cap. un. h. t.° in VI*. — Ecclesia

Judicium de quantitate sanguinis in Episcopo.

polluta, antequam divina mysteria in ea fiant, est reconcilianda. — Reconciliatio autem Ecclesiarum spectat ad dioecesanum. — *Ex cap. 9° et 10° h. t.°* autem notandum est: — (x) si Ecclesia polluta erat consecrata, Dioecesanus Episcopus si nolit per se reconciliationem complere, debet deputare alium Episcopum, nec valet simplicis Sacerdoti munus reconciliationis committere. Unus Romanus Pontifex valet ad hoc officium simplicem Sacerdotem delegare, cum Minister reconciliationis juxta canones sit Minister consecrationis. At si Ecclesia sit simpliciter benedicta, tunc Episcopus ad eam reconciliandam quit etiam simplicem Sacerdotem delegare. Equidem plures Doctores, inter quos Schmalzgrueber *h. t.° num.° 84*, Reiffenstuel et ipse Benedictus XIV *De Synod. dioeces. lib. 13° cap. 15 num.° 2* secuti auctoritatem Glossae in *cap. 10 h. t.° v. Cavetur*, putaverunt in reconciliatione Ecclesiae pollutae, quae tantum erat benedicta posse simplicem Sacerdotem procedere lustrando eam aqua a se vel ab alio Sacerdote benedicta, et quidem etiam non expectata Episcopi delegatione seu licentia. Verum pluribus monstrat Giraldi in *op.° cit.° part. 1^a sect. 603* esse necessariam Episcopi dioecesani delegationem, ad hoc ut simplex Sacerdos valeat Ecclesiam simpliciter benedictam pollutam reconciliare, addendo etiam praescriptionem Ritualis Romani, et decretum S. Rituum Congregationis de *die 9 Febr. 1608*, quae loquuntur de *delegatione Episcopi ne-*

cessaria Sacerdoti in casu. — (β) Aqua, quae adhibetur in reconciliatione Ecclesiae pollutae, quae prius erat consecrata, est cum mixtione vini et cineris benedicta ex *cap. 4^o h. t.^o* cum forma statuta in Pontificali Romano; quando pro reconciliatione pollutae Ecclesiae, quae fuerat simpliciter benedicta, est aqua cum alia formula benedicta, quae dicitur juxta *cap. 10 h. t.^o* aqua lustralis. — (γ) Ritus demum pro utraque reconciliatione diversi sunt.

5.^o Altaria quoque debere consecrari, ut sacrificium Missae super iisdem fieri licite possit, ex antiquissimo more et lege receptum esse docet Bellarminus *tom. 1^o Controv. lib. 1^o de Missa cap. 16.* Duplicis vero altaris consecratio fit, prout sunt vel *fixa*, vel *portatilia*. — Altare *fixum* illud dicitur, quod ut conjunctum basi consecratur; altare autem *portatile* illud quod consecratur tamquam a basi sejunctum. — Lapideum vero debere esse Altare consecrandum sive fixum sit, sive portatile, antiqui canones praescribunt, inter quos *can. 31 de consecrat. dist. 1^a*: « *altaria si non fuerint lapidea chrismatis unctione non consecrantur.* » Nihilominus Benedictus XIV in Constitutione « *Imposito nobis* » 46 *Bullar. tom. 3^o* concessit Sacerdotibus latini ritus in Russia Polonica degentibus tam praesentibus quam futuris, ut deficientibus tabulis lapideis consecratis Missam celebrare valeant super Antimensiis Ruthenorum unitorum ritu tamen latino sacrum facientes: et

Antimensiae sunt lintei quidam Episcopali benedictione consecrati, in quorum angulis Sanctorum Reliquiae reconditae sunt. — Ad consecrationem etiam Altaris tum fixi tum portatilis necessariam ibi esse positionem Reliquiarum pluribus probat Giraldi *op. cit.^o part. 1^a sect. 609*, addens hanc esse vetustissimam praxim, cui respondent et orationes liturgicae. — De aliis ritibus et forma consecrationis loquitur Pontificale Romanum. — Unum hic adjicere praestat de Ministro consecrationis Altaris. Ipse est, quemadmodum de consecratione Ecclesiae diximus, dioecesanus Episcopus, qui per se vel per alios Episcopos complere valet. Simplicibus vero Sacerdotibus id juris concedere non est nisi Romani Pontificis. Et quando per privilegium id Pontifex concedit, limitare censetur regulariter pro illorum Ecclesiis, aut pro Ecclesiis sui Ordinis. Subdit Giraldi *loc. cit.^o* cum communi privilegium quoque requiri ad benedicenda paramenta sacerdotalia, quae sunt amictus, alba etc. item calices, pixides etc. Imo pro iis benedicendis, in quibus sacra adhibetur unctio seu chrisma, requiritur privilegium speciale apostolicum, quo qui donantur, eo uti non possunt, nisi pariter pro suis Ecclesiis, nisi in privilegio dictum sit, quod eo uti valeant etiam in locis alienis, ad hoc non suffragante quacumque consuetudine. De ista re consulatur Benedictus XIV *Instit. eccles. 21.* — Consecratio Altari tum fixo tum portatili impensa manet usque dum non excretur. Execratio autem aliter con-

tingit in fixo, aliter in portatili. Altare namque fixum execratur tribus modis: Altare vero portatile duobus. — Et execratur Altare fixum: — 1° quando *tabula, cui consecrationis benedictio pontificali ministerio adhibetur, mota fuerit ex cap. 3° h. t.*, quod ita debet intelligi, ut ipsa tabula vel lapis consecratus Altaris disjuncta, seu disjunctus fuerit a sua inferiori structura vel basi. Licet enim nonnulli Doctores putaverint esse execratum Altare fixum, cum ipsum fuerit translatum de uno in alium locum; tamen haec *motio tabulae* a canone expressa non ita debet secundum alios Doctores intelligi, ut pluribus demonstrat Giraldi *loco cit.* Etenim evenire potest, ut Altare fixum sit execratum, etiamsi non transferatur de loco in locum, prout evenire potest, ut translatum de loco in locum non tamen sit execratum. Si enim tabula consecrata dividitur a basi, cui affixa consecrata est (secus enim esset Altare portatile), tunc execratur, quia mota est. At vero si Altare fixum ac integrum transfertur de loco, in quo constructum fuit in alium locum, non amittit consecrationem. Ratio siquidem formalis per quam Altare fixum differt a portatili proprie in eo consistit, quod Altare fixum habet et essentialiter importat conjunctionem cum sua structura inferiori seu basi, cum quo tabula proinde necessario debet esse unita; ubi e contra Altare portatile de sui natura importat esse a basi sejunctum. — Hic modus execrationis est solum Altaris fixi, non vero portatilis. At secundus et ter-

tius modus utriusque Altaris proprius est quoad execrationem. Nam si tabula consecrata fuerit *enormiter fracta*, tunc quodvis Altare execratur ex *cap. 3° h. t.*; secus autem si fractio sit levis, ut dicitur in *cap. 6° h. t.* — Disputant Doctores inter se, ut determinent quando fractura sit *enormis*. Inter tot opiniones Doctorum mihi probatur ea, quam tenet Giraldi cum Panormitano aliisque celebrioribus juris interpretibus, tunc dici fracturam enormem, quando tabula amisit veterem usum et formam. Unde si tabula in duas partes divisa est a vertice ad fundum, ita etiam, ut in earum una integrum maneat Reliquiarum repositorium, ac commode contineri in ea possint calix et hostia, nihilominus dicatur Altare execratum; est enim lapis enormiter diminutus, ut ait Alexander III in *cap. 1° h. t.* Quando dubium est, an fractura enormis sit vel non, dubii resolutio remittitur arbitrio Episcopi, ac interim abstinendum est a celebratione Missae super eo, ne Sacerdos semetipsum exponat periculo celebrandi in loco non consecrato. — Tertius execrationis modus est, si ab Altaris tabula auferantur sacrae Reliquiae, aut amoveatur vel enormiter frangatur repositorium Reliquiarum aut sigillum, idest parvus ille lapis, qui occludit easdem Reliquias in ipsarum sepulchro vel Repositorio, prout ex *cap. 1° h. t.* et pluribus decisionibus S. Congregationis Rituum *ibi* relatis. — Execrato autem Altare fixo vel portatili, non execratur Ecclesia, nec viceversa ex

cap. 1^o h. t.^o Ratio est, quia utriusque consecratio fit aequè principaliter, proinde potest una fieri vel consistere sine altera, cum sint inter se disparatae; etsi pollutâ Ecclesiâ censeatur etiam Altare pollutum, usque dum in ipsâ maneat.

*Suspensio
= conditio, saltem resolutionis ipsius Ecclesiae, Membrum
Ecclesiae altare non consecratur.*

TITULUS XLI.

De celebratione Missarum, Sacramento Eucharistiae, et divinis Officiis.

1.^o Brevem hunc tractatum de celebratione Missarum incohare melius nequimus, quam usurpando verba, quae Concilium Tridentinum adhibuit *sess. 22 in Decreto de observandis et vitandis in celebratione Missae*, nempe: « Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum Missae sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur, quis facile existimare poterit, qui cogitarit maledictum in sacris litteris eum vocari, qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christifidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in Altari per Sacerdotes quotidie immolatur, satis etiam apparet

omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur. » Ad quem scopum obtinendum canones plura hac super re praecepta ac dispositiones constituerunt, quas nos exponemus, Theologiae morali relinquentes quae praecipue forum internum juxta Concilii Tridentini verba respiciunt.

2.º Primo agemus de modo, tempore ac loco Missarum celebrandarum. Antiquum praeceptum esse in Ecclesia, quod Sacerdotes quicumque etiam non obligati ad curam animarum, quater saltem in anno, idest in principalioribus festis, in quibus religiosiores laici communicare solent, Missam celebrent, legitimo impedimento cessante, nobis supponere facit *cap. 9 h. t.º* Et licet a Doctoribus controvertatur an istius legis non observatio grave peccatum constituat, videtur tamen tutior sententia affirmativa, quam tenet Fagnanus in *cap. 9 h. t.º num. 13* cum S. Thoma et Doctoribus ibi relatis. Addit autem hic Giraldi *op. cit.º part. 1ª sect. 608* hanc sententiam probabiliorem factam esse ex facto Pii V, qui, ut refert Benedictus XIV in *Instit. eccles. 55 § non ignoramus*, deleri jussit ex libris Cardinalis Cajetani opinionem illam asserentem: « Levi solum culpa obnoxios esse, qui nulla animarum cura praediti, numquam per anni cursum sacrificium Missae celebraverint. » Concilium quidem Tridentinum hunc articulum non definivit,

sed *cap. 14 sess. 23* injunxit tantum Episcopo curare, ut Sacerdotes saltem diebus dominicis et festis solemnibus, si non sint Parochi, Missam celebrent. Sed cum quaesitum est a Congregatione Concilii: « an Episcopus facere debeat id solis adhortationibus et admonitionibus, an vero possit monere sub poenis et censuris, ut legitime non impediti debeant celebrare? » sub *die 25 Februarii 1617 censuit non posse ex cap. 14 sess. 23*. — Quovis autem die una Missa tantum est celebranda, et non plures nisi in casibus a jure expressis. Celebris hac super re est dispositio *cap. 3 h. t.º*, quam referemus: « Consuluisti nos, utrum Pre- » sbyter duas Missas in eadem die valeat cele- » brare. Super quo tibi duximus respondendum, » quod excepto die Nativitatis Dominicae, nisi » causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti » semel in die unam Missam solummodo cele- » brare. » Qui canon de una tantum Missa quotidie celebranda et non pluribus interpretationem habet, ita ut verbum *sufficit* debeat referri ad propositum quaesitum. Restrictio haec facta est, ut habet Benedictus XIV in Constitutione mox citanda, non alia ex causa, quam ut avaritiae et sordidis quaestibus adimeretur occasio, vel saltem oblocutionibus silentium imponeretur, quae scilicet ex eleemosynis pro Missarum numero multiplicatis aut ortum habuerant, aut oriri posse videbantur. At fiunt exceptiones, quarum prima est exceptio diei Nativitatis Dominicae. — Quoad hanc

advertendum est: — (a) hanc esse exceptionem pro Sacerdotibus latini ritus, qui ter valent in ea festivitate celebrare, sed id est interdictum Sacerdotibus Ecclesiae Orientalis, ut docet Benedictus XIV in Epistola « *In Superiori* » diei 29 Decembris 1755 § 1° et 2°. Hanc vero exceptionem in Ecclesia latina esse antiquissimam, cum de ea meminerit quoque Gregorius Magnus, prout in suis homeliis, quae illius diei in Nocturno ponuntur. — (b) At Sacerdos non tenetur has Missas omnes celebrare, prout fideles non tenentur tres audire; sed unam, sicut exponunt Doctores cum Navarro *Consil. 1° de Celebrat. Missar. num. 1°*. — (c) Sed si Sacerdos unam celebrat eo die Missam, melior est ea sententia Doctorum, quae tenet ab eo illam esse legendam, quae tempori respondet in quo celebrat, nempe si in nocte, primam, si in aurora, secundam, si facto jam die, tertiam. — (d) Respiciendum tamen est Decretum S. Rituum Congregationis in *Pisauriensi diei 20 Aprilis 1641*, nempe: « In nocte Nativitatis Domini post cantatam primam Missam, nullo modo posse alias » duas immediate celebrari, nec fideles communicari. » Quod decretum percellit cunctos quoque Regulares non obstantibus suis privilegiis, ut patet ex decreto ejusdem S. Congregationis diei 23 Martii 1686; proinde necessarium est aliud posterius privilegium vel facultas apostolica in casibus peculiaribus sive pro Missis celebrandis, vel pro recipienda communione. — (e) An vero

liceat cuique Sacerdoti illa nocte celebrare Missam ante auroram, disputant Doctores; sed est melior sententia, qua asseritur unumquemque teneri respicere suae Ecclesiae consuetudinem, quia deficiente vetito generali potest peculiare interdictum supervenire Ecclesiarum particularium. — Consimile in pluribus huic Sacerdotum omnium latinorum privilegio illud est, quod concessum est pro omnibus Sacerdotibus degentibus in Hispaniis et Lusitania, ut in commemoratione omnium fidelium defunctorum possint tres celebrare Missas. Differentia in hoc est, quod Sacerdotes latini in die Nativitatis Domini pro tribus Missis valent trinam eleemosynam suscipere, aut satisfacere tribus obligationibus, prout constat ex pluribus responsis S. Congregationis Concilii. E contra in hoc privilegio saltem quoad extensionem factam a Benedicto XIV Constitut. « *Quod expensis* » diei 26 Augusti 1748, Sacerdotes nequeunt recipere nisi unam eleemosynam juxta taxam consuetam, nec nisi uni obligationi satisfacere, cum aliae duae Missae sint pro omnibus defunctis applicandae. — Praeter privilegia, de quibus locuti sumus non datur alius casus celebrandi uno die plusquam unam Missam, nisi ratio necessitatis, da qua in *cit.° cap.°* Qui casus autem hodie veniant sub hac *necessitatis* ratione apprimè explicat cl. Lucidi in *op. cit.° De Visitatione etc. part. 1ª vol. 2º pag. 592 num.º 64*, ibi: « Quaenam porro hujusmodi debeat esse necessitas, non parum inter doctores disputatum

est, praesertim cum glossa in *cit. cap. Consulvisti* hujusmodi *necessitatis* causae causam addiderit *honestatis* vel *utilitatis* (dummodo res sit non de utilitate celebrantis, sed Missam audientis); *Abbas in dict. cap. num. 2 aliique*. Hodie vero praesertim post memoratam Benedictinam Constitutionem, communis est theologorum sententia, qua necessitatis casus ad Missam eodem die iterandam is in praxi reputetur, quo presbyter duas paroecias habeat, et in alterutram Parochiam nequeat populus convenire, nec alius praesto sit Sacerdos praeter Parochum, qui Missam die festivo valeat celebrare. Nec absimilis ad hunc effectum reputatur esse etiam casus, quo Parochus etsi minime praesit duabus Paroeciis, *vel* duos tamen regat populos, adeo inter se dissitos, ut alter ipsorum Parocho celebranti nullatenus adstare valeat ob maximam locorum distantiam; *vel* tametsi una tantum sit Ecclesia, in qua Missa a Parocho iteranda sit, universus tamen populus in ea insimul adesse non possit. *Hi quippe duo casus eodem jure censendi sunt*, uti post Thophilum Raynaudum *tom. 17 oper. edit. Lugdun. pag. 8*, animadvertit laudatus Pontifex Benedictus XIV in *cit. sua ad Episcopum Oscensem Constitutione*. Iis ergo occurrentibus circumstantiis, omnino deficiente alio Sacerdote, qui aliud sacrificium offerre valeat, legitima, juxta hodiernam Ecclesiae disciplinam, aderit iterandi sacrificii necessitas. » — *Et part. 1^a vol. 1^o pag. 438 num. 380*, ibi: « Quando vero

plane constiterit, necessitatem, quam diximus, vere locum habere, non ideo suo Marte potest Parochus binandi facultatem sibi arrogare: namque ex aperta declaratione Ben. XIV *loc. cit.* § *Tui* requiritur insuper Episcopi licentia, cujus iudicio relinquitur determinare, an justa, et vera necessitatis ratio in casibus peculiaribus intercedat. Neque indiscriminatim Episcopis hanc facultatem impertiri fas est, sed tantum ob veram in casu particulari necessitatis causam; ideoque personale binandi privilegium alicui Parocho, vel alteri Sacerdoti elargiri minime possent; velut ab eodem Pontifice diserte inibi statuitur. Hinc est, quod Antistites ad S. Sedem se vertere soleant etiam ea de causa, ut iudicium tutius, ac certius existat, quod vera et justa necessitas subsit veniae, de qua agitur, elargiendae, ceu demonstrant complurima passim exempla, quae afferri possent. S. C. vero in suis resolutionibus, sive in responsionibus ad relationes super statu ecclesiarum solemne habet absolutam Benedictinae Constitutionis observantiam praecipere, et urgere. » — Parochus vero si habet duas Paroecias, utramque Missam pro populo celebrabit; si autem unam Paroeciam, tunc etsi non teneatur utramque pro populo applicare, tamen pro altera eleemosynam accipere nequit, sicut alius Sacerdos iterans Missam pro secunda eleemosynam nequit recipere; prout est constans S. Congregationis Concilii mens relata in *Folio Causae Cameracensis Missar. pro populo diei 25*

Septembr. anni 1858 relato a Lucidi in *op. cit.*^o
part. 2^a num.° 29.

3.^o Benedictus XIV *De Sacros. Missae Sacrificio lib. 3^o cap. 7^o num.° 5^o* edocet, excepto pervigilio Nativitatis Dominicae, in qua post mediam noctem Missa conventualis celebratur secundum ea quae antea exposuimus, quoad tempus celebrationis Missae ex aequitate esse receptum juxta eam, quae etiam Romae viget, praxim, ut Missa horae triente ante auroram et post meridiem celebretur; privilegio vero apostolico nonnullis permitti, ut Missam celebrare valeant hora ante auroram vel post meridiem, ut communiter petitiones sunt. — *De loco* vero celebrationis Missarum hodie post Concilium Tridentinum *sess. 22* in Decreto *de observandis et evitandis in Sacrificio Missae* tenendum est *Episcopos non debere pati privatis in domibus atque omnino extra Ecclesiam et ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria ab iisdem Ordinariis designanda et visitanda Sanctum hoc Sacrificium a saecularibus aut Regularibus quibuscumque peragi.* — Cujus dispositionis tenor ut dignoscatur, advertendum est: — (α) Per hoc decretum sublata esse omnia quorumcumque etiam Regularium privilegia, seu, ut ajunt, *usum Altaris portatilis*, ut censuit Clemens XI in suo Decreto *Quoniam Sancta diei 15 Decembr. 1703*: proinde eis posse hunc usum interdicti ab Episcopis etiam tamquam Apostolicae Sedis delegatis usque ad censuras latae sententiae. Proinde est, quod Gre-

gorius XIII cum Patribus Missionariis Societatis Jesu privilegium Altaris portatilis concessit, Tridentino huic decreto derogavit, prout videre est apud Verricellum de Apostolicis Missionibus *quaest. 131 num.° 1.°* — (β) Verum advertente Benedicto XIV *de Sacrif. Missae lib. 3^o cap. 6^o num. 5^o* Tridentina Synodus privilegium Episcoporum non sustulit, ut saepe declaravit S. Congregatio apud Barbosam *de Episcopo allegat. 13^o num.° 1^o*, et constat ex *libro 12 Decretor. pag. 120*, ubi sic ea respondit: « Sacra Congregatio censuit Cardinales non secus ac Episcopos sine ulla Episcopi dioecesani licentia uti posse privilegio Altaris portatilis ad praescriptum Constitutionis fe: record: Bonifacii VIII, quae incipit: *Quoniam Episcopi*, » nec hujusmodi privilegium sublatum fuisse Concilii decreto *cap. unic. sess. 22.* — Verum Clemens XI in *cit. Decreto diei 15 Decembr. 1703* cum videret eo privilegio quosdam abuti, statuit ne quis extra suam domum, nec propterea in laicorum domibus sive in Dioecesi sive extra Dioecesim ejusmodi privilegio uteretur, prout legere est in *cit.° op. Benedicti XIV. Ne vero hoc decretum Clementis XI in sensum a Pontifice non intentum acciperetur, opus fuit declaratione, quam exhibuit Innocentius XIII, qui in Bulla Apostolici Ministerii de Regularium disciplina pro Hispaniarum regnis, quam Benedictus XIII confirmavit, declaravit decreto Clementino locum non esse, si Episcopus tamquam hospes in alicujus laici domo moretur*

aut Dioecesim visitando, aut iter faciendo, aut ex licentia Sedis Apostolicae habitando in domo aliena extra Dioecesim. — Sub nomine autem Episcoporum a fortiori in hoc privilegio comprehenduntur etiam S. R. E. Cardinales etsi sint Ordinis Presbyteralis vel Diaconalis. — (γ) Advertit vero Benedictus XIV *loc. cit.*°, relate ad Oratoria et Capellas privatas, quibus certus fixusque assignatus est locus in domibus tam Episcoporum quam Cardinalium, posse ibi plures quotidie Missas celebrari etiam a Sacerdotibus, qui non sint ex familia, licet Episcopus vel Cardinalis absit; et eos etiamsi non ex familia, qui diebus festis ibi Missam audiant, ecclesiastico praecepto satisfacere. — (δ) Quoties vero Oratorium est *publicum*, non comprehenditur sub vetito Concilii; et in genere Oratorium *publicum* habetur, quando januam habet in via, ita ut cuique pateat accessus. Imo docet S. Congregatio in *Compsana diei 31 Maii 1704*, Oratorium dici *publicum* etsi in aula baronis, vel in atrio palatii situm sit, dummodo alia *publicitatis* signa praeseferat, prout Altare marmoreum fixum, et campanile cum campanis pro plebis ad sacrum audiendum convocatione. — Quoad ritus autem in Missae celebratione servandos, sicut quod unusquisque Presbyter debeat sequi suae Ecclesiae ritus si est latinus vel Orientalis, et demum quoad linguam in Missae celebratione retinendam, videatur in hac re opus citatum Benedicti XIV *De Sacro*

sancto Missae Sacrificio; de qua re nonnulla addemus in ultima parte istius tituli.

4.° De Missarum applicatione nunc est loquendum. Reservato fructu generalissimo Missae in utilitatem omnium fidelium, et fructu *specialissimo* pro ipso offerente, certum est fructum *medium* Missae posse a Sacerdote applicari pro iis, pro quibus sacrificium offert. Teneri autem ad applicandum illum fructum potest Sacerdos multipliciter, nempe vel ratione officii vel beneficii, vel praecepti Superioris, vel demum ratione elemosynae acceptae. — Ratione officii qui curam habent animarum tenentur statis diebus Missam applicare pro populo, de quibus in antecedentibus titulis egimus, et in Cathedralibus ac Collegiatis Ecclesiis est onus Missae pro benefactoribus in genere. — De celebratione et applicatione Missae conventualis agit Benedictus XIV in Constitut. « *Cum semper oblatas* » num. XI et seqq. diei 19 Augusti 1744, et in Ecclesiis Cathedralibus ac veris Collegiatis ad hoc onus ferendum tenentur omnes praebendati, qui Clerum Capitularem efficiunt, per turnum, ut ea quotidie persolvatur. A qua obligatione non absolvuntur neque ex veteri consuetudine in contrarium, neque ex reddituum insufficientia, neque ex alia causa, nisi ex S. Sedis venia, quae talibus precibus aliquantulum difficilem se praebet, cum ea sit pars maxima persolvendi officii canonicalis, etsi aliquando habita ratione ad modicitatem reddituum eam persolvendam tantum indulserit in

diebus festis et dominicis. Quae omnia exponuntur a Lucidi *op. cit. part. 1^a volum. 1^o pag. 310 et seqq.* — Ratione beneficii est Missa applicanda quando de ejus applicatione in fundatione beneficii verba fuerunt clare definita. Tantummodo esse dubium potest de applicatione, quando in fundatione onus Missarum indictum est, sed nihil de applicatione clare expressum; et tunc secundum fundatam opinionem Benedicti XIV in *cit. opere lib. 3^o cap. 9* praesumendum est esse quoque praescriptam applicationem, nisi in contrarium habeantur gravissimae praesumptiones, quod scilicet institutor praeceperit Missarum celebrationem, sed reliquerit liberam applicationem, quod fusius explicatur in ejusdem *Instit. Ecclesiast. 56*. Harum praesumptionum una est, si pro Capellano tempore institutionis redditus, detractis detrahendis, essent infra eleemosynam manualementem juxta regionis mores, ut S. Congr. censuit in *Novariensi 22 Nov. 1727*. Sacerdoti etiam sibi subjecto Superior praecipere potest, ut Missam, quam celebrabit, applicet huic, aut illi personae; cui praecepto si non obtemperet, saltem inobedientiae reus erit, etsi Doctores apud Benedictum XIV *op. cit. loc. cit. 1^o* probabilius putent sacrificium in casu inobedientiae illi prodesse, pro quo Sacerdos applicaverit. — Ratione demum eleemosynae acceptae teneri Sacerdotes ad applicandas Missas explorati juris est. Dixi *acceptae eleemosynae*; nam, ut refert Benedictus XIV *de Sacrif. Missae lib. 3^o cap. 22 num. 10*, cum tem-

pore Clementis VIII S. Congregatio Concilii requisita fuisset: « an Sacerdotes Missam applicare valerent pro iis, qui postea Missae celebrationem postulaturi ac pro ea eleemosynam praebituri essent, tametsi antequam Missae Sacrificium perageretur, neque a Sacerdote illud rogassent, neque ei hac de causa eleemosynam praebuissent? » Respondit hujusmodi usum tamquam pluribus nominibus periculosum, fidelium scandalis et offensionibus obnoxium, atque a vetusto Ecclesiae more nimis abhorrentem explodendum et improbandum esse: quae decisio a Paulo V probata est. 31 mai

5.^o Eleemosyna autem haec aut est *ex fundationibus*, aut est *manualis*. — Dicitur *ex fundationibus*, cum erecta fuerit capellania perpetua, vel perpetuum legatum Missarum persolvendarum: — *Manualis* vero, cum respicitur ad oblationes singulares fidelium, quae dantur pro una vel pluribus Missis celebrandis. — In quantitate istius eleemosynae determinanda ratio habetur vel consuetudinis vigentis vel legis synodalis. Et jure quidem, cum in hac eleemosyna habeatur respectus ad partem sustentationis ministrorum sacrorum. Hanc vero taxam vel ex consuetudine statuendam, vel rectius ex decreto Episcopi in Synodo dioecesana edito, ut stabiliior sit et Sacerdotibus commodius notificetur, correspondere Concilii Tridentini sanctioni in *cit. Decreto sess. 22* pluribus demonstrat laudatus Benedictus XIV *op. cit. l. 3^o cap. 21 num. 19 et seq.* Effectus porro istius taxae est,

ut impediatur importunae et immoderatae eleemosynarum exactiones, cum ultra eam nemo quidquam exigere valeat; et simul honori Sacerdotum prospiciatur. — Huic praescripto obtemperant Episcopi, cum in fundatione Capellaniarum aut Legatorum exigunt, ut stipendium assignatum pro Missis celebrandis, saltem adaequet vigentem taxam, si fundator velit non solum celebrationem sed et applicationem Missarum; liberum tamen est piis fundatoribus uberiores eleemosynas constituere. — Haec pariter ratio est, ut si progressu temporis taxata in fundationibus eleemosyna evadat tenuis, possint rogatu Sacerdotum Episcopi petere a S. Sede reductionem Missarum. Dico Episcopos debere petere a S. Sede hanc reductionem; nam ipsi nequeunt id impertiri, cum decretum *cap. 4 sess. 25* respexerit primam Synodum post Concilium Tridentinum habitam, ac de oneribus Missarum ante idem Concilium impositis (nisi a testatore fuerit facultas reducendi Episcopo concessa) et proinde fuerit temporaneum, prout rescripsit S. Congregatio in *Ferrariensi diei 5 Mart. 1597*, citata a Benedicto XIV *de Synod. lib. 13 cap. 25.* — Quoad Missas vero manuales hoc decretum ab Episcopis latum non prohibet, quominus uberiores eleemosyna sponte queat offerri, ut nonnulli rigidiores Doctores putaverunt; sed tantum, quod arbitrium Sacerdotum fuerit compescitum.

6.° Ad abusum eliminandos quoad serotinum adimplementum Missarum emanarunt plura de-

creta S. Congregationis Concilii confirmata ab Urbano VIII, et Innocentio XII Constitutione « *Nuper* » *diei 23 Decembr. 1697*; quae legi possunt apud Richter *Canones et Decreta Concilii Tridentini ad Decretum de observandis etc. sess. 22 num.° 92*. Sed progressu temporis alius et quidem perniciosissimus abusus patuit circa commissionem Missarum celebrandarum aliis Sacerdotibus dandam aliquid retinendo vel resecando de stipendio pro iisdem Missis assignato. Quaestio sub iis terminis jam proposita fuerat, prout edocet Benedictus XIV in Constitutione « *Quanta cura* » *diei 30 Junii 1741*: An liceat aliis Sacerdotibus Missas celebrandas elargiri decurtata eleemosyna pro iisdem Missis assignata? Cui quaestioni tum a Doctoribus tum decisionibus S. Congregationis fuerat responsio data, nempe distinguendum esse inter Missas fundatas et manuales. Quoad fundatas advertendum pariter est, an Capellania obtineatur in titulum, vel non. Si obtinetur in titulum, tunc possunt Missae aliis dari celebrandae minori quoque eleemosyna, dummodo adaequent taxam synodalem Dioecesis illius Sacerdotis, cui conceduntur; et ratio est, quia in proventibus illius Capellaniae computatur quoque emolumentum Capellani; qui consideratur velut beneficiatus, et proinde suae Capellaniae emolumenta recipit, dummodo per se vel per alium tale onus adimpleat. At si non possidentur in titulum, de iis idem sermo instituendus est, ac de manualibus. Porro Missae

manuales non possunt dari aliis celebrandae, nisi tributa totali eleemosyna accepta, nec quidquam retineri valet. Ratio est, quia offerens eleemosynam, eam impendi vult in utilitatem ejus, qui Missam celebraverit, et proinde ille, qui partem subtrahit, nullum habet titulum eam sibi servandi, sed potius furti reus est. Unus casus est nempe si excessus eleemosynae ultra consuetam datus fuerit ex alia causa, puta gratitudinis propter opera a persone praestita: quia tunc censetur eleemosynae excessus datus pro operibus, et eleemosyna communis data pro Missa celebranda; et proinde potest committi Missa alii celebranda cum eleemosyna communi, retento excessu pro opere alio praestito. Qui tamen casus non verificatur in Parocho, qui eleemosynam ultra taxam recipiens in funeralibus, Missam committit suo Vicario celebrandam eleemosyna communi pro se retinens excessum datae eleemosynae. Haec enim eleemosina pinguior consuetâ non tribuitur Parocho tamquam pars *jurium stolae*, pro quibus sunt determinatae aliae elargitiones in funeralibus, neque consuetudo generalis regionis rem sic retinet; proinde tota celebranti danda est, quanta fuit recepta. Propter eandem rationem haec pars subtracta non potest expendi in quoscumque usus pios, cum ei debeatur, qui Missas celebravit; ac proinde neque est locus condonationi etiam ex potestate Poenitentiariae Apostolicae, cum haec non valeat juri tertio quaesito praejudicare. Neque valet, quod Sacerdoti Missam ce-

lebranti et consentienti fuerit indicatum majoris pretii stipendium seu eleemosynam acceptam esse, quam quae ei datur; cum talis consensus non liber, sed coactus praesumatur. Unde ei restituendum est, quod fuit subtractum, nisi sponte et absque ulla praevia invitatione in hanc remissionem libere conveniat; quia tunc censetur intervenisse donatio. Hinc in casu antecedenti S. Poenitentiarum concedit condonationem indicta aliqua eleemosyna in opera pia eroganda tantum in illis circumstantiis, in quibus non possunt illi Sacerdotes aut eorum haeredes adinveniri, qui Missas celebraverunt. Quod si in hac hypothese emolumentum in opera pia fuerit impensum, tunc ei condonat cum animadversione, ut in futurum a similibus absteineat. Cum vero non obstantibus hisce decisionibus a laicis et Sacerdotibus nonnullis colligerentur Missarum stipendia ad lucrum faciendum, edita est Constitutio Benedicti XIV « *Quanta cura*, » in qua contra eos, si laici essent, excommunicationis censura lata est; et si Clerici suspensionis ipso facto incurrenda. Hodie vero in Constitutione « *Apostolicae Sedis* » sub *num.º 12* plectuntur excommunicatione simpliciter Summo Pontifici reservata *colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis et ex eis lucrum captantes faciendo eas celebrare in locis, ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent*. Quam excommunicationem sive Clerici sive laici incurrunr, quoties pro Missis celebratis vel celebrandis tradito stipendio, retinent ejus partem et quidem

tantam, quanta sufficit ad grave furtum. At necesse est, ut sit copiosa collectio facta modo mercaturae; unde censuram non incurrit etsi peccet qui lucrum captat ex stipendiis, quae ei dantur vel sponte deferuntur. Et quia in canone exprimitur quod haec collectio Missarum fiat ad lucrum faciendum, hinc qui excessum impendit in usus pios excusaretur a censura, quamvis a culpa et restitutione non esset immunis. — Verum dicet aliquis: numquid non licet ex collectis Missis partem stipendii subtrahere ad aliquod pium opus et necessarium explendum? Respondeo id licitum esse, dummodo venia a S. Sede imploretur, et quidem praeventive, idest antequam Missae celebrandae consignentur. Et revera non desunt casus, in quibus pro Seminariorum manutentione, aut alio necessario pio opere implendo S. Sedes rogata id sinit, verum talis petitio praeventive fieri debet. Nam etsi S. Sedes rerum ad Ecclesiam pertinentium omnimodam habeat et plenissimam administrationem; quando tamen Missae celebratae sunt, Sacerdotes habent jus quaesitum ad totam eleemosynam; proinde nequeunt illa privari.

7.º Novissimis hisce temporibus alius penes nonnullas catholicas regiones mos invaluit, ut Bibliopolarum alique mercatores, qui ecclesiasticos libros vendunt, aut ornamenta sacra, adhibitis publicis invitamentis et praemiis, vel alio quocumque modo Missarum eleemosynas colligerent, et Sacerdotibus, quibus eas celebrandas committebant, non

pecuniam, sed libros aliasque merces rependerent. Disputantibus et variis opinantibus Doctoribus praesertim ex eo, quod singulis offerebantur expendendi casus cum diversis circumstantiis, demum recursus factus est ad Sanctam Sedem, et a S. Congregatione Concilii prodiit sequens Decretum: — « Cum circa eleemosynas Missarum graves quaedam quaestiones S. Sedi propositae fuerint, eas SS^mus D. N. Pius divina providentia Papa IX E^mis ac R^mis DD. S. Rom. Ecclesiae Cardinalibus Concilio Tridentino interpretando ac vindicando praepositis expendendas ac resolvendas mandavit. Itaque injuncto sibi muneri, ea, qua par est, diligentia et consilii maturitate iidem E^mi Patres satisfacere cupientes, infrascripta dubia desuper concinnari voluerunt. — I An turpe mercimonium sapiat, ideoque improbanda, et poenis etiam ecclesiasticis, si opus fuerit, coercenda sit ab Episcopis eorum Bibliopolarum vel mercatorum agendi ratio, qui adhibitis publicis invitamentis et praemiis, vel alio quocumque modo Missarum eleemosynas colligunt, et Sacerdotibus, quibus eas celebrandas commitunt, non pecuniam, sed libros aliasve merces rependant? — II An haec agendi ratio ideo honestari valeat, vel quia nulla facta imminutione, tot Missae a memoratis collectoribus celebrandae committantur, quot collectis eleemosynis respondeant, vel quia per eam pauperibus Sacerdotibus, eleemosynis Missarum carentibus, subvenitur? — III An hujusmodi eleemosynarum collectiones et

erogationes tunc etiam improbandae et coercendae, ut supra, sint ab Episcopis, quando lucrum, quod ex mercium cum eleemosynis permutatione hauritur, non in proprium colligentium commodum, sed in piarum institutionum et bonorum operum usum vel incrementum impenditur? — IV An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi atque etiam coercendi, ut supra, sint ii, qui acceptas a fidelibus vel locis piis eleemosynas Missarum tradunt Bibliopolis, mercatoribus, aliisque earum collectoribus, sive recipiant, sive non recipiant quidquam ab iisdem praemii nomine? — V An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi et coercendi, ut supra, sint ii, qui a dictis Bibliopolis, et mercatoribus recipiunt pro Missis celebrandis libros, aliasve merces, harum pretio sive immixto, sive integro? — VI An illicite agant ii, qui pro Missis celebratis recipiunt stipendii loco libros vel alias merces, seclusa quavis negotiationis, vel turpis lucri specie? — VII An liceat Episcopis sine speciali S. Sedis venia ex eleemosynis Missarum, quas fideles celebrioribus Sanctuariis tradere solent, aliquid detrahere, ut eorum decori et ornamento consulatur, quando praesertim ea propriis redditibus careant? — VIII An et quid agendum ab Episcopis, ne in iisdem Sanctuariis plures Missarum eleemosynae congerantur, quam quae ibi intra praescriptum, seu breve tempus absolvi queant? — IX An et quid agendum ab Episcopis, ut Missae, sive quae singulis Sacerdotibus, sive

quae Ecclesiis et locis piis a fidelibus celebrandae committuntur, accurate et fideliter persolvantur? — Quibus dubiis non semel in propriis comitiis sedulo et accurate perpensis, tandem in Congregatione Generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 25 Julii 1874, iidem Eñi Patres in hunc modum respondendum censuerunt, videlicet. — Ad I Affirmative. — Ad II Negative. — Ad III Affirmative. — Ad IV Affirmative. — Ad V Affirmative. — Ad VI Negative. — Ad VII Negative, nisi de consensu oblatorum. — Ad VIII et IX Standum Constitutionibus Apostolicis et Decretis alias datis. *Vide Benedict. XIV Instit. Eccl. 56. De Synodo Dioeces. lib. 5 cap. 8 seq. De Sacrif. Miss. lib. 3 cap. 21 et seq.* — Factaque die 31 Augusti 1874 de his omnibus SSmo D. N. per me infrascriptum Secretarium relatione, Sanctitas Sua resolutiones S. Congregationis Apostolica sua auctoritate adprobavit et confirmavit, atque ad Episcopos transmitti jussit, ut ipsi eas intra propriae jurisdictionis limites exequendas, perpetuoque et inviolabiliter servandas curent. Contrariis non obstantibus quibuscumque. — Datum, Romae ex Secretaria S. C. Concilii die 9 Septembris 1874. — P. Card. Caterini Praef. — P. Archiepiscopus Sardinianus Secretarius. »

8.º Altera pars tituli agit de divinis officiis. Sub nomine divini officii veniunt horae canonicae. Porro antiquissima lex ecclesiastica ab aevo apo-

stolico inducta est Clericos ex susceptione Ordinis sacri, vel ratione beneficii recepti teneri ad recitationem officii divini sive horarum canonicarum. Cui legi deinde illi subjecti sunt, qui Religionem solemniter professi sunt choro adstrictam, exceptis laicis vel conversis. Consulto appositum est, quod tales Religiones sint choro adstrictae: nam si ex instituto suae Religionis ad chorum adstrictae non sunt, tunc ratione editi voti Religiosi non tenentur ad recitationem, ut sunt Ordines militares et Religiosi quoque Societatis Jesu in majoribus Ordinibus ecclesiasticis non constituti. — Quod vero pertinet ad Moniales praeter alias, attendenda est decisio S. Congregationis Episcoporum et Regularium, quae sub *die 19 Aprilis 1844* ad dubium propositum: « An Moniales in genere teneantur sub gravi in vim earum professionis ad recitationem officii divini suo instituto proprii? » respondit: « Affirmative quoad Moniales vota solemnia professas juxta regulam ad Apostolica Sede approbatam, in qua hujusmodi onus imponitur. Si autem tale onus in regulis non imponitur, Orator consulat probatos Auctores relate ad obligationem, quae ex consuetudine oriri potest. Ubi vero vota simplicia sunt, non teneri. » — Haec vero obligatio complexa erat, nempe includens primario recitationem completam horarum canonicarum, et deinde ut ea fieret in Ecclesiis horis et modo determinato in communi, prout patet ex *cap. 9° et 10° h. t.°* At post Con-

stitutionem *cap. 1 h. t.° in Clementin.* haec recitatio horarum canonicarum in Ecclesiis publice, altaque voce, perculit Ecclesias Cathedralis, Regulares et Collegiatis, atque Clericos vel Regulares iis addictos: quoad reliquum vero caetum Clericorum majorum seu beneficiatorum remansit recitatio privatim facienda, quam ab iis omnibus esse praestandam, qui vel choro non tenentur, vel qui de facto choro non intersunt, tenuit communis praedictae legis interpretatio et doctrinalis et usualis. Solliciti canonistae non sunt de iis proponendis regulis, quae respiciunt recitationem privatam horarum canonicarum, cum ista omnia a tractatoribus theologiae moralis fuse tradantur; et tantum de publica divini officii recitatione agunt. Ex communi interpretatione *d. 1 cap. 1 h. t.° in Clementin.* regula proposita est, ut in praefatis Ecclesiis Cathedralibus, Regularibus, et Collegiatis universum officium divinum nocturnum pariter et diurnum quotidie recitetur statis horis. Cumque hoc sit lege generali inductum, nequit talis obligatio relaxari ex ulla causa, praesertim cum Concilium Tridentinum eandem obligationem instauraverit *cap. 12 sess. 24*, ut exponit Benedictus XIV *Instit. Eccles. 107 num.° 7.°* « Quaestio dumtaxat oriri potest, ait Lucidi in *op. cit.° part. 1ª vol. 1º pag. 300*, » an ob consuetudinem immemoriam alicujus Capituli, vel reddituum tenuitatem, aliasque causas, veluti coeli gravitatem vel inclementiam,

de Cam...
I p. 279
et...
1888

» totum officium aut ejusdem partem omnibus vel
 » aliquibus diebus praetermittere fas sit. Hujus-
 » modi quaestio, ut certa ratione, omnique con-
 » fusione sublata enodetur, distinguendum est in-
 » ter Capitula Cathedralium, Collegiatarum insi-
 » gnium, et Collegiatarum simplicium. Quod enim
 » pertinet ad Cathedralia et Collegiatas insignes,
 » nulla ratio est praeter beneplacitum Apostolicum,
 » quae ab integra et quotidiana horum recitatione
 » excuset. Quod vero pertinet ad Collegiatas sim-
 » plices sive urbanas sive rurales, reddituum te-
 » nuitas, et consuetudo immemorabilis, aliaque le-
 » gitima causa ex S. Sedis tolerantia suffragari
 » potest, ut Canonici juxta modum ab hac lege
 » plus vel minus relevati impune abeant.» Et totam
 hanc rem pertinere exclusive ad Sedem Aposto-
 licam, non vero ad Episcopos, praeter ea, quae
 diximus, probant plures recentes S. Congregationis
 Concilii decisiones relatae *loc. cit.*° a Lucidi et
 praecipue in *causa S. Hippolyti servitii chori et*
Missae Conventualis die 23 Januar. 1864. Ast
 sicut S. Congregatio se praebuit constanter inexo-
 rabilem in rejicienda consuetudine etiam immemo-
 rabili quoad Cathedralia et Collegiatas insignes;
 ita detulit aliis causis, quae ex modernorum tem-
 porum conditione emergerunt, prout Canonicatum
 diminutioni et quoad redditus, et quoad numerum
 Canonicorum; proinde ad instantiam Capitulorum
 justis impedimentorum et difficultatum causis di-

scussis, accedente testimonio et commendatione Epi-
 scoporum, non abnuit eorumdem petitionem exci-
 pere juxta modum, quem magis expedire ipsa in
 Domino judicavit.

9.° Concilium Tridentinum *sess. 25* in De-
 creto « *De indice librorum et catechismo, breviario*
et missali » terminandum reliquit auctoritati Ro-
 mani Pontificis quidquid pertinebat ad reformationem
 et evulgationem Breviarii et Missalis. Quae
 res post curas Pauli IV et Pii IV ad exitum de-
 ducta est a Pio V Constitutione « *Quod a nobis* »
data Romae septimo Idus Julii 1568 et alia Consti-
 tutione « *Quo primum* » *pridie Idus Julii 1570.* — In
 prima Constitutione Summus Pontifex ad tollendam
 orandi varietatem: — 1° praecipit ab omnibus Ritus
 Latini, qui ad horas canonicas persolvendas tenen-
 tur, in toto orbe observari Breviarium a se editum,
 et juxta illud horas canonicas recitari sub poena non
 satisfaciendi suae obligationi; jubetque omnibus
 Praelatis, ut illud introducant tam in choro, quam
 extra chorum, et prohibet, ne in eo aliquid im-
 mutetur, addatur, vel detrahatur. — 2° Cui re-
 gulae generali unam facit exceptionem, nempe eos
 ab hac obligatione eximit, qui a *biscentum saltem*
annis uti consuevissent Breviario ab illo diverso,
 ita videlicet, ut ipsi non quidem commutare iterum
 atque iterum arbitrio suo librum hujusmodi, sed
 quo utebantur, si vellent, retinere possent. Per-
 mittit tamen, ut antiquiora ducentis annis pos-

sunt in praedictum Breviarium mutari, si Episcopus et universum Capitulum consensiant. — 3° Tollit et abolet omnino Breviarium a Cardinali S. Crucis, seu Cardinali Francisco Quignonii, quod erat brevissimum, item alia Breviaria Romana, et alia, quae ex institutione vel consuetudine legitima non superarent ducentos annos, ac revocat quas-cumque permissiones, consuetudines, statuta, privilegia, licentias, et indulta precandi et psallendi more et ritu praedictorum Breviariorum suppressorum. — Editionem hanc Breviarii Romani in pluribus depravatam restituit Clemens VIII, et sua Constitutione, quae incipit « *Cum in Ecclesia* » data die 10 Maii 1602 probavit, juxta quam dictam editionem vaticanam deinde praecepit omnes alias in futurum esse faciendas de licentia Ordinariorum in scriptis habenda, ex qua constet de collatione facta cum codice vaticano in ipsa editione inserenda sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae. Demum Urbanus VIII, ut ex Constitutione, quae incipit « *Divinam Psalmodyam* » de die 25 Januarii 1631, Breviarium a Pio V editum, a Clemente VIII recognitum, a pluribus mendis expurgavit, hymnos ad metri et latinitatis regulas revocavit, in psalmis et canticis interpunctionem editionis vulgatae restituit, sermones, homilias et Sanctorum historias, collatis veteribus manuscriptis, recognovit, et juxta hanc correctionem impressit Breviarium, atque secundum

talem editionem alias faciendas esse decrevit, eisdem praescriptionibus et poenis decretis, quas constituerat Clemens VIII.

10.° Supradictae praescriptiones usu receptae sunt; singularis tamen supervenit in Galliis conditio. In diversis siquidem ejus regionis Dioecibus vetera manebant et in usu erant Breviaria, jam ab antiquissimo tempore, unde dictae Dioeceses comprehendebantur sub exceptione a Pio V in Constitutione contemplata. Verum successu temporis in illis Breviariis variationes gravissimae inductae sunt praesertim ex praevalente audacia Jansenistarum, ita ut unusquisque Episcopus sub initio saeculi decimi septimi putaret sibi jus inesse addendi, minuendi vel corrigendi in Breviario, unde tot diversa fuerunt Breviaria, quot ferme Dioeceses. Confusio major evasit, cum initio istius saeculi facta nova delimitatione Dioecesium, antiquis extinctis, in una eademque Dioecesi diversa Breviaria in usu essent. Ex tunc coeperunt Episcopi, atque eminentes viri in ecclesiastica disciplina edocti hanc confusionem lamentari; atque coepit dignosci necessitas redeundi ad unitatem in liturgia amplectendo Breviarium et Missale Romanum. Hoc pium desiderium Romana Sedes fovit jam a tempore Gregorii XVI in Litteris sub forma Brevis directis ad Archiepiscopum Rhemensem die 6^a Augusti 1842. At ex nullo alio documento melius apparet quinam fuerit status quaestionis liturgicae in Gallia, quam

ex Responsione S. Rituum Congregationis ad Archiepiscopum Cardinalem Bisuntinum data *die 8 Augusti 1856*, cujus tenor hic est: « Ex iis omnibus, quae huic Sacrae Rituum Congregationi ab Eminentia Vestra exposita magna cum eruditione fuerunt circa historiam et libros veteris Liturgiae Bisuntinae, duo emergere videntur exploratissima facta. Primum est: Dioecesim Bisuntinam, quo tempore S. Pius V suas edidit de Breviario et Missali Romano Constitutiones, quum a plurimis saeculis usu frueretur proprii Breviarii et Missalis, veteres hos suos libros, juxta exemptionem in iisdemque Constitutionibus appositam, retinere legitime potuisse, ac revera retinuisse. Alterum est: Bisuntinos Antistites post aetatem Sancti Pii V tot induxisse, labentibus annis, in praefatos Ecclesiae suae libros additiones, detractiones et variationes, ut fatendum sit Missale ac Breviarium, quibus hodie eadem Ecclesia utitur, diversissima evasisse a primaevis Breviario ac Missali sub Sancto Pio V retentis. — Haec quum constent in facto, erui facile poterit quid consequatur in jure, si revocetur in mentem regula illa, quam Gregorius XVI, in suo ad Archiepiscopum Rhemensem Brevis sub *die 6 Augusti 1842*, enuntiavit scribens, Sanctum Pium V: « *Eos tantum ab obligatione Breviarii et Missalis Romani recipiendorum exemptos voluisse, qui a biscentum annis saltem uti*

» *consueverunt Breviario et Missali ab illis diverso, ita videlicet, ut ipsi non quidem commutare iterum atque iterum arbitrio suo libros hujusmodi, sed quibus utebantur, si vellent, retinere possent.* » Ex hac namque Regula sequitur Bisuntinam Ecclesiam post multiplices, quas in suos libros liturgicos arbitrio proprio variationes induxit, ab omni privilegio excidisse, quod ipsi fuerat per Constitutiones Sancti Pii V quaesitum. Jure itaque inspecto, jam videt Eminentia Vestra minime posse Dioecesim Bisuntinam ad veteres suos, quos dimisit, liturgicos libros regredi. — Sed quoniam Eminentia Vestra in calce suae ad hanc Sacram Congregationem Epistolae, dum votum emittit, ut liceat Bisuntinae Dioecesi reassumere Breviarium et Missale ab Archiepiscopo Antonio Petro *de Grammont* annis 1667 et 1673 excusa, iterumque subinde annis 1692 et 1694 impressa, retentis tantummodo novis prosis Cardinalis *de Choiseul*, ingenue profitetur se, non jure aut consuetudine aliqua innixam, id postulare, sed una Sanctae Sedis benignitate confisam, haud praetermisit eadem Sacra Congregatio praedictam Eminentiae Vestrae postulationem, cui jus adversari jam senserat, etiam sub respectu opportunitatis perpendere. Verum dissimulare sibi non potuit gravissima, quae consequutura forent, incommoda, si generali dispositioni juris in gratiam unius Eminentiae Vestrae

» derogaretur, id Bisuntinae Dioecesi indulgendo,
 » quod omnibus hucusque Galliarum Episcopis ad
 » Romanam Liturgiam reversis denegatum fuit,
 » licet plures ex illis eosdemque titulos eademque
 » circumstantias ac Bisuntina Dioecesis obtendere
 » valuissent. Ex his porro Eminentia Vestra cau-
 » sas intelligit, ob quas ipsius precibus, sive juris
 » sive opportunitatis habita ratione, satisfieri haud
 » posse sacra haec Congregatio censuit. — Hanc
 » vero Sacrae Congregationis deliberationem, quum
 » referente subscripto Secretario, Sanctissimus Do-
 » minus noster Pius Papa IX ratam habere et con-
 » firmare dignatus sit, nihil aliud superest nisi ut
 » Eminentia Vestra, pro ea, qua praestat erga San-
 » ctam Apostolicam Sedem, filiali reverentia, et
 » obsequio, commissam sibi Bisuntinam Dioecesim
 » aetiori cum illa communionis vinculo conso-
 » ciare studeat, quod certe efficiet si praefatam
 » Dioecesim ad unitatem Romanae Liturgiae quam
 » primum adducat. » — Ex quibus omnibus di-
 » gnoscitur quo jure simul et prudentia tota haec
 » res a S. Sede pertractata fuerit. Eventus haec
 » omnia probavit, cum Dioeceses Galliarum ad uni-
 » tatem Romanae Liturgiae redierint. Deinde tamen
 » pro petentibus *Propria* diversa Sanctorum et ka-
 » lendaria perpetua pro diversis Dioecesibus fuerunt
 » a S. Rituum Congregatione approbata, et per spe-
 » cialissimam exceptionem Ecclesiae Lugdunensi in-
 » dultum est, ut illius antiqua Liturgia ab omnibus

novitatibus emendata ad modum et formam, quae
 a S. Rituum Congregatione fuit sancita, futuris
 quoque temporibus servari posset, quod concessum
 est per *Breve* directum Cardinali Ludovico de
 Bonald Archiepiscopo Lugdunensi die 17 Mar-
 tii 1864.

P. C. unicum. De Reliquis etc. P. III, l. XV
Opus Congreg. de Ritu. S. B. Jun. 1864
on a ditte de foye en la transition de foye

TITULUS XLII.

De Baptismo et ejus effectu.

1.° Baptismus a catechismo romano *part. 2^a cap. 2^o* definitur « Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitae. » Qui baptismus etsi triplex distinguatur, nempe *fluminis, fluminis et sanguinis*, verum tamen Sacramentum novae legis non est nisi baptismus *fluminis* vel *aquae*. Relinquentes autem Theologiae dogmaticae et moralis tractatibus quaestiones, quae respiciunt materiam hujus Sacramenti, ministrum, subjectum et ritus, tantum ea breviter afferemus, quae innuuntur in Decretalibus sub hoc titulo.

2.° In *cap. 1^o h. t.°* sermo est de forma baptismi. Quamquam enim baptismus possit conferri per immersionem, aut infusionem sive aspersionem, et unusquisque in hoc teneatur suae Eccle-

siae consuetudinem sequi, quoad formam tamen attendendum est, ut haec praeter invocationem expressam trium personarum SS.^{mae} Trinitatis indicet *Quamvis* actionem, quam minister complet, et personam super qua completur illa actio. — Quae omnia nisi sufficienter exprimantur non habetur verus baptismus, prout in *cit.° cap.°* dicitur. Cohaerenter ad hoc Alexander VIII *die 7^a Decembris 1690* proscripsit propositionem 27^{am} « valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus « *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* » praetermissis illis « *ego te baptizo* » inflicta poena excommunicationis ipso facto incurrendae et Papae reservatae in eam docentes, defendentes edentes, aut de ea etiam publice disputantes ac privatim tractantes, nisi forsitan impugnantes; et ab eodem Pontifice fuit prohibitum in virtute sanctae obedientiae et sub interminatione divini iudicii eandem a quocumque in praxim deduci.

3.° Ex *Extravagante Clementin. unic. h. t.°* *ubi* prohibetur ne baptismus in aulis vel cameris, aut aliis privatis domibus conferatur sub poenis ab Episcopo indicendis sed in Ecclesiis, in quibus sunt fontes ad id specialiter deputati; quod vetitum manet etiamsi ibidem baptizati postea ad sacrum fontem efferantur, ut consuetae caeremoniae ac ritus in Ecclesiis celebrentur. Exceptio duplex est nempe primo quoad liberos Regum et magnorum principum, quibus, si isti petant, etiam juxta Rituale Romanum potest conferri baptismus in eo-

rum domibus, nempe in capellis eorum vel oratoriis aqua tamen de more benedicta. Altera exceptio est, si infantes absque periculo ad Ecclesiam deferri nequeant, quod periculum a Glossa hujus capituli explicatur nedum respectu baptizandorum, quando nempe sunt in mortis articulo, quam respectu eorum, qui illos deferre deberent ad Ecclesiam.

4.º Ex rubrica *tituli XVI libri primi* constat esse tria Sacramenta, baptismi nempe confirmationis et ordinis, quae utpote characterem imprimantia reiterari nequeunt. — Quid ergo si dubium sit an aliquis fuerit baptizatus? Responsio ex *cap. 2º h. t.º* est, eum esse sub conditione baptizandum. Verum ad quascumque difficultates tollendas advertendum est, hoc dubium debere esse *probabile*. Si enim hoc dubium non est probabile, tunc etiam sub conditione reiterans baptismum non effugit irregularitatem, prout communiter sentiunt Canonistae; quam sententiam defendit quoque Benedictus XIV in *Institut. Eccles. 84* et in *Synod. Dioec. lib. 7º cap. 6º num. 3º* citans plures decisiones S. Congregationis Concilii, et auctoritatem Catechismi Romani *part. 2ª de Sacram. Baptismi num. 57*. Dubium autem hoc probabile esse potest, vel circa baptismum susceptum, vel circa validitatem suscepti baptismatis. Porro si baptismus collatus fuerit in aliqua tantum corporis parte, et non in capite, tunc secundum praescriptum Ritualis Romani § *de baptizandis parvulis*, baptismus est

conferendum sub dicta conditione. At vero si dubitatur de facto, tunc juxta Epistolam S. Congregationis Concilii datam Vicario Generali Ulissiponensi *sub die 26 Aprilis 1732 lib. 28 Epistolarum ejusdem Congregationis*, quae lata est ad normam *cap. 3 de presbyt. non baptizato*, non est probabile dubium, si desit simpliciter attestatio baptismi pro eo, qui fuit natus ex christianis parentibus et inter christianos fideliter fuit conversatus, donec evidentissimis argumentis contrarium probetur. Sed non desinit e contrario esse probabile dubium, si de aliquo tantum haberetur haec conjectura suscepti baptismatis, quod orthodoxae fidei rudimenta reperiatur instructus, cum omnes aliae conjecturae et adminicula deficiunt; prout tenuit S. Congregatio Concilii in *Ripana diei 12 Decembr. 1733*. Quoad infantes expositos pariter non desinit esse probabile dubium, et proinde ii sunt sub conditione baptizandi, etiamsi habeant collo appensam schedulam attestantem eos fuisse baptizatos. Licet enim ad comprobandum collationem baptismi satis sit unius dumtaxat testimonium, prout patet ex *Epistola 35 Leonis Papae rescripta Episcopo Ravennatensi relata in can. 112 dist. 4ª de Consecr. et glossa in eo canone*; tamen de fidelitate istius testis debet constare. At quando schedula subscripta non est, quam nam credibilitatem habebit? Ex quo eruitur dubium non esse probabile si schedula subscripta sit, et constet de scientia et fidelitate scribentis. Unde S. Congre-

Quidam

de baptizandis parvulis
si non est baptizatus

gatio Concilii in *Congressu diei 18 Decembris 1723, et diei 15 Januarii 1724* proposito sibi dubio: « Quomodo se gerere debeat Parochus S. Spiritus in Saxia in collatione baptismatis infantibus, qui ad Archiospitale deferuntur, sive iidem habeant schedulam de baptismo testantem, sive non habeant, et etiamsi ex colore et caeteris corporis qualitatibus deprehendantur eosdem esse constitutos in aetate sex aut decem mensium vel unius anni cum dimidio? » Respondit: « Esse rebaptizandos sub conditione in omnibus casibus expositis juxta instructionem: et instructio est quod excipiatur a baptismo sub conditione casus schedulae, quae haberet certitudinem. » Consulto autem notat hic Giraldi *op. cit.º part. 1ª sect. 615*, quoties reiterandus est baptismus, si res est de adultis, semper reiterandum esse secreto, sive adultus matrimonio ligatus sit sive non; et hanc reiterationem debere intelligi factam sine praejudicio matrimonii, si quod prius fuerit rite contractum, ut clarum est ex Decretis S. Congregationis Concilii in *Ripana cit.ª* et in *Tarvisina Baptismi diei 4 Maii 1737 tom. 8º thesauri pag. 59*.

5.º In *cap. 3º h. t.º* sermo est de effectu baptismi, et exponitur antiqua quaestio Theologorum de infusione vel non virtutum per modum habitus in baptismo infantium. Sed hodie hac super re praestat referre, quae Benedictus XIV habet *De Beatif. et Canonizat. Sanctorum tom. 3º cap. 21 num.º 13* ibi. « De habitibus virtutum theologi-

» carum, hoc est de fide, spe, et caritate, olim
 » quaestio erat inter theologos, an una cum gratia
 » in Baptismo infunderentur; plerique enim ante
 » Innocen. III existimabant, quod adultis cum ju-
 » stificatione infunderentur habitus virtutum, prae-
 » sertim theologiarum, licet aliqui ex speciali ra-
 » tione negarent, tales habitus parvulis in Bapti-
 » smate infundi, veluti desumitur ex *cap. Majores, de Baptismo*, et probat Suarez *lib. 6 de Gratia cap. 8*. In Concilio Viennensi sub Clem. V ap-
 » probata fuit tamquam probabilior sententia as-
 » truens, tum parvulis, tum adultis gratiam in-
 » fundi, et virtutes, uti habetur in *Clementin. unic. de Summa Trinitate, et Fide Catholica*: cumque
 » postmodum in Concilio Trident. *sess. 6 cap. 7 de Justificatione* sic legatur: *Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, caritatem*, pu-
 » tant nonnulli, probabile admodum esse, quod
 » post Trident. de fide sit, justificatis dari habitus
 » infusos fidei, spei, et caritatis; Suarez *loc. cit. § 14. Vega in Concilium Tridentinum lib. 7 cap. 6.* »

de rebaptizandis sive adultis in admixtione in propria parte

TITULUS XLIII.

De Presbytero non Baptizato.

1.º Unica quaestio, quae proponitur hoc titulo, est sequens: « an ad ordines valide suscipiendos necessario praemitti debeat baptismus aquae, vel sufficiat baptismus fluminis aut desiderii? » Respondetur autem ex *cap. 1º h. t.º* esse necessarium baptismum aquae, quia in eo edicitur: « si quis Presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur et iterum ordinetur. » Quod est servandum non modo circa eos, qui baptismum non susceperunt, verum etiam circa eos, qui invalide baptismum receperant, prout servandum esse quoad baptizatos a Paulianistis statuit Concilium Nicenum primum *can. 19*. Cum enim Paulianistae formam baptismi corrupissent, et proinde tali cum forma baptizantes invalide mi-

nistrarent baptismum; si aliquis ab ipsis baptizatus jam ordines suscepisset, et deinde ad Ecclesiam catholicam conversus fuisset, prius baptizabatur, et deinde iterum ordinabatur juxta citati canonis praescriptum. Haec autem doctrina in praxi omnino tenenda, theoretice loquendo tempore Innocentii III erat tantum *probabilior et tutior*; quemadmodum patet ex *cap. 3º h. t.º*, ast hodie post disertam locutionem *cap. 2 de cognat. spirit. in VI*, post declarationem Concilii Florentini in decreto *unionis* et communem Theologarum consensum duce B. Thoma certa et indubitata est, sicut docet Gonzalez in *Commentar. ad cap. 3 h. t.º*

2.º Quid ergo censendum erit de actibus ab hoc Presbytero positis, qui non erat baptizatus? Doctores apud Schmalzgrueber *num. 5º h. t.º* distinguunt inter actus, qui ab ordine vere suscepto et proinde a baptismo ex divina institutione non pendent, et inter actus, qui a Sacramentis illis jure divino pendent. Si priores exercentur ab eo qui communi errore pro Presbytero tali potestate praedito habetur, propter utilitatem publicam sustinentur; cum Ecclesia ob talem causam censeatur supplere jurisdictionem. Verum posteriores actus pro irritis haberi debent, quia Ecclesia defectum Sacramentorum, quae ad valorem hujusmodi actuum jure divino necessaria sunt supplere et circa substantialia Sacramentorum immutare nihil potest, prout colligitur ex *Conc. Trid. sess. 21 de Sacrament. eucharist.*

TITULUS XLIV.

*De Custodia Eucharistiae, Chrismatis,
et aliorum Sacramentorum.*

1.º Mos asservandi Eucharistiam in Ecclesia vetustissimus est, ut illum Nicaeni quoque Concilii saeculum agnoverit, prout Patres Tridentini docuerunt *sess. 13 cap. 6º*, proinde hanc laudabilem consuetudinem ex praecepto plurium Conciliorum inculcatam et cum summa aequitate ac ratione conjunctam iidem Patres Tridentini retinendam esse omnino statuerunt utpote salutarem et necessariam. Ast in quibus Ecclesiis Eucharistia asservari debet et potest? Responsio est; eam asservari debere in Ecclesiis Parochialibus; cum enim una e potioribus rationibus asservationis sit, ut deferatur ad infirmos, ne sine communione moriantur, prout dicitur in *can. Presbyter. dist. 2ª de consecr.*, hinc in Ecclesiis Parochialibus asservatur eucharistia,

cum cura eam deferendi spectet ad Parochum. Eam pariter in Cathedrali debere asservari ratio est, quia reputatur prima Dioecesis Parochia. Sed debet adnotari quod resolvit S. Congregatio Episcoporum et Regularium in *Lucens. diei 10 Febr. 1579* nempe: « Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti in Cathedralibus non debere esse in Altari majori propter functiones particulares, quae fiunt versis renibus ad Altare, in Parochialibus vero et regularibus Ecclesiis debere esse in Altari majori regulariter tamquam digniori. » Regularibus pariter permissum est ut in suis Ecclesiis asservent Eucharistiam, sive quia Religiosi viri et foeminae habentur tamquam parochiani eorumque Ecclesiae tamquam Parochiae; sive quia regularium domorum erectio cum a Sede Apostolica procedat, tacite hoc privilegium secum ferre dicenda est. Est tamen servandum quod statuitur a Concilio Tridentino *cap. 10 sess. 25 de regular.*, nempe Moniales non posse ex quovis indulto aut privilegio Eucharistiam servare intra claustra, sed in parte exteriori Ecclesiae. Quod tamen non intelligitur nisi de Ordinibus Religiosis proprie dictis; nam si sermo sit de Congregationibus cum votis simplicibus, seu de domibus erectis tantum auctoritate Episcopali, tunc ad Eucharistiae jugem asservationem necessaria est venia Apostolica, prout docet Benedictus XIV Constitutione « *Quamvis justo* » data *die 30 Aprilis anni 1749 § 24*. Ecclesiae autem collegiales nisi simul sint Parochiales et

multo minus aliae Ecclesiae minores non Parochiales Eucharistiam asservare nequeunt, nisi ex privilegio Apostolico, ut demonstrat Cardinalis Petra in *Commentar. ad Constitut. 1 Urbani IV num.º 31*. Una est exceptio scilicet consuetudo immemorabilis, quae tamen proprie loquendo non constituit casum exceptionis, nam prout docet Benedictus XIV in *constitut.º cit.ª* haec praesumere facit privilegium Apostolicum. — Neque Episcopi valent dare licentiam asservandi Eucharistiam, cum excedat fines propriae auctoritatis, ut pluribus probat Cardinalis Petra in *loc. cit.º* — Caeterum id Episcopis intelligitur vetitum de asservatione perpetua; nam quod pertinet ad custodiam temporaneam, facultatem ipsi valent elargiri, ut probavit S. Congregatio Concilii in *Cassanen. diei 12 Augusti 1717*.

2.º Claves tabernaculi, ubi custoditur Eucharistia, sicut et chrisma, aliaque sacramentalia asservantur a Parocho in Ecclesiis Parochialibus non obstante quocumque statuto vel consuetudine, uti pluries decisit S. Congregatio Concilii et praesertim in *Neapolitana diei 14 Novembr. 1695* cum limitatione ibi admissa de retinendis clavibus custodiae Sacramenti in V Feria majoris hebdomadae ex consuetudine immemoriali a patronis. Quoad Ecclesias vero Monialium claves tabernaculi servantur a Capellano non a Monialibus ut in *Januen. 14 Aprilis 1725*. Quae vero diligentia adhibenda sit in tali asservatione docet *cap. 1 h. t.º* et Encyclicae

Litterae S. Congregationis Episcoporum et Regularium *diei 9 Febr. 1751*, quarum compendium exhibet Lucidi *op. cit.º part. 1ª pag. 90-91*. — Quoad expensas vero, quae sunt necessariae pro ratione custodiae et praesertim pro nutrienda lampade, quae ante Eucharistiam perpetuo collucere debet, in subsidium cogi valent quoque parochiani, prout probat Cardinalis Petra *loc. cit.º* Circa poenas autem male custodientium Eucharistiam ab Episcopo infligendas, quod etiam Regulares comprehendantur pluribus demonstrat Benedictus XIV *De Syn. Dioeces. lib. 9 cap. 15º num. 4.º* — Huc spectat pariter adnotare fuisse a Romanis Pontificibus latas leges circa renovationem Eucharistiae ut Constitutio Innocentii IV « *Sub catholicae* » *diei 6 Martii 1254*, et Clementis VIII « *Sanctissimus* » *diei 31 Augusti 1595*. — Nostris autem temporibus hac super re nova emersit quaestio relate ad materias, quibus lumina nutriuntur; quae fuit resoluta Decreto S. Rituum Congregationis, quod subnectimus: — « Nonnulli Rm̃i Galliarum antistites serio perpendentes in multis suarum Dioecesium Ecclesiis difficile admodum et nonnisi magnis sumptibus comparari posse oleum olivarum ad nutriendam diu noctuque saltem unam lampadem ante Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, ab Apostolica Sede declarari petierunt, utrum in casu, attentis difficultatibus et Ecclesiarum paupertate, oleo olivarum substitui possint alia olea, quae ex vegetalibus habentur,

» ipso non excluso petroleo. Sacra porro Rituum
 » Congregatio, etsi semper sollicita ut etiam in hac
 » parte quod usque ab Ecclesiae primordiis circa
 » usum olei ex olivis inductum est, ob mysticas
 » significationes retineatur; attamen silentio prae-
 » terire minime censuit rationes ab iisdem Epi-
 » scopis prolatas; ac proinde exquisito prius voto
 » alterius ex Apostolicarum coeemoniarum ma-
 » gistris, subscriptus Cardinalis Praefectus ejus-
 » dem Sacrae Congregationis rem omnem propo-
 » suit in ordinariis comitiis ad Vaticanum hodierna
 » die habitis. Eñi autem et Rñi Patres sacris
 » tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate per-
 » pensis ac diligentissime examinatis, rescriben-
 » dum censuerunt. *Generatim utendum esse oleo*
 » *olivarum; ubi vero haberi nequeat, remittendum*
 » *prudentiali Episcoporum, ut lampades nutriantur*
 » *ex aliis oleis quantum fieri possit vegetalibus.*
 » *Die 9 Julii 1864.* — Facta postmodum de prae-
 » missis Sanctissimo Domino nostro Pio Papae IX
 » per infrascriptum Secretarium fideli relatione,
 » Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis
 » ratam habuit et confirmavit. *Die 14 iisdem mense*
 » *et anno.* — C. Episcopus Portuen et S. Rufinae
 » Card. Patrizi S. R. C. Praef. — Loco ⚔ Sigilli. —
 » D. Bartolini S. R. C. Secretarius. » — Debere
 » vero et quolibet die Missae sacrificium offerri in
 » Ecclesia, ubi Eucharistia asservatur, colligi potest
 » ex Decreto S. Congregationis Rituum in *Firmana*
 » *diei 16 Martii 1833* sequentis tenoris: « Sacerdos

» quidam Archidioecesis Firmanae rurali Ecclesiae,
 » ubi SS. Eucharistiae Sacramentum quotidie asservatur,
 » uti aedituus addictus S. Congregationem
 » Rituum supplex rogavit: an aedituus ruralis, ubi
 » SS. Sacramentum asservatur, teneatur ibi resi-
 » dere, ut sacrosanctum Missae sacrificium quotidie
 » celebret; et an possit per quinque vel sex dies quo-
 » libet mense abscedere, ut aliis obligationibus in
 » alia Ecclesia vacet? S. Congregatio respondit, te-
 » neri ad residentiam, et quotidianam Missae cele-
 » brationem, vel per se vel per alium Sacerdotem. »
 » Quae dicta sunt de custodia Eucharistiae, eadem
 » dicantur de custodia chrismatis, et olei infirmorum,
 » ut serventur in Ecclesiis parochialibus et regularibus
 » in apposito loco honorabiliore et sub parvo ostiolo
 » clauso, quaeque quolibet anno renovanda sunt.

3.º Quod vero attinet ad expositionem SS. Eu-
 » charistiae retinendum est, quod in *Instit. Ec-*
 » *cles. 30ª* pluribus probat Benedictus XIV, distin-
 » guendum scilicet esse inter expositionem in osten-
 » sorio et in pixide. Si agatur de expositione in
 » ostensorio hanc fieri non posse nisi ex causa pu-
 » blica per Episcopum probata, etiamsi fieret a Re-
 » gularibus in propriis Ecclesiis, quae sint a juris-
 » dictione Episcopi immunes; si vero fiat in pixide;
 » tunc fieri posse quoque ex causa privata, nec esse
 » necessariam veniam Ordinarii. Desumitur hoc ex
 » decreto Concilii Tridentini *sess. 21 cap. 8 de reform.*,
 » et pressius ex Decisione S. Congregationis Concilii
 » in *Causa Neapolitana diei 17 Augusti 1630*, in

qua « S. Congregatio censuit non licere Regularibus etiam in eorum propriis Ecclesiis Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum publice adorandum exponere, nisi ex causa publica, quae probata sit ab Ordinario: ex causa autem privata posse, dummodo Sanctissimum Sacramentum e tabernaculo non extrahatur, et sit velatum ita, ut ipsa Sacra Hostia videri non possit. » Quod decretum etsi pro peculiari causa editum sit, tamen pro generali norma a S. Congregatione deinceps receptum est, ita ut quoties hujus generis causae propositae sunt, idem statuendum responderit. Qui plura hac de re desiderat, citatam Institutionem ecclesiasticam Benedicti XIV adeat.

TITULUS XLV.

De Reliquiis et Veneratione Sanctorum.

1.º Nulla meliore ratione hujus tituli expositio inchoari potest, quam si afferamus Decretum Concilii Tridentini *sess. 25 « De Invocatione veneratione et reliquiis sanctorum, et sacris Imaginibus »* Decretum hoc tribus partibus constat, primo enim loquitur de invocatione et veneratione Sanctorum, secundo de veneratione reliquiarum, et tertio de imaginibus sacris; praestabit proinde per partes illud offerre et brevibus commentariis exponere. Prima pars ejus Decreti est: « Mandat S. Synodus omnibus Episcopis et caeteris docendi munus curamque sustinentibus, ut juxta catholicae et apostolicae Ecclesiae usum a primaevis christianae Religionis temporibus receptum, sanctorumque Patrum consensionem et Sacrorum Con-

ciliorum decreta, imprimis de Sanctorum intercessionem invocationem, reliquiarum honore et legitimo imaginum usu fideles diligenter instruant, docentes eos, sanctos una cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre, bonum atque utile esse suppliciter eos invocare, et ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere; illos vero qui negant Sanctos aeterna felicitate in coelo fruente invocandos esse, aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei, adversarique honori unius mediatoris Dei et hominum Jesu Christi, vel stultum esse in coelis regnantibus voce vel mente supplicare, impie sentire. »

2.º Cultus autem hic duplex est *privatus* et *publicus*. *Privatus* dicitur cum proprio colentis nomine exhibetur; *publicus* vero cum exhibetur nomine Ecclesiae. Quidquid sit de privato cultu, de quo deinde nonnulla afferemus, certum id est non posse alicui etiam si cum publica sanctitatis aestimatione defuncto praestari cultum publicum, nisi praecedat iudicium Ecclesiae; quod duplex est nempe *Beatificationis* et *Canonizationis*. Id probatur ex antiquissima praxi Ecclesiae et praecipue ex *cap. 1º h. t.º*; atque unanimi interpretatione Doctorum. *Canonizare* aliquem, ait Reiffenstuel

h. t.º n. 4º cum communi, nihil aliud est, quam solemniter et canonice illum inscribere *Albo* seu numero et catalogo Sanctorum, atque auctoritative declarare ac definire eum existere in coelis, simulque statuere ut ab omnibus christifidelibus pro Sancto habeatur. *Beatificare* autem aliquem aliud non est quam rite ac legitime concedere alicui certo Regno, Provinciae, Religioni vel loco facultatem, qua ille tamquam in coelis existens cultu publico, celebratione videlicet Missae, recitatione Officii Divini etc. juxta determinationem concedentis venerari ac invocari possit. Unde exurgit differentia inter canonizationem et beatificationem; nam in canonizatione praecipitur et statuitur ut canonizatus ab omnibus christifidelibus pro sancto habeatur, et coli possit *quovis* cultu publico. In beatificatione vero tantum conceditur, non autem praecipitur ut beatus cultu *aliquo per auctoritatem ecclesiasticam determinato* et quidem non a toto mundo christiano, sed tantum a certo Regno, provincia, loco, vel Religione coli valeat. — Differentias intercedentes inter canonizationem et beatificationem enucleatius et maxima doctrina exponit Benedictus XIV in celebri Opere « *De Servorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonizatione* » *lib. 1º cap. 39 num. 12, 13 et 14*. — Ex his quae diximus facile deprehenditur canonizationem esse de sui natura soli Romano Pontifici reservatam, quam in Concilio, vel extra Concilium exercet, ut exempla demonstrant; nam praecipere

toti Ecclesiae nulli alii competit, quam ei, qui supremam habet Auctoritatem. Hinc canonizatio fuit de sui natura semper *causa major*. Non sic tamen dicendum est de beatificatione, quae antiquitus per Episcopos compleri poterat, et de facto pluries completa est. Sed hodie et haec Summo reservata est Pontifici. Quando vero haec facta fuerit *causa major* non conveniunt Doctores. Praeferenda inter omnes videtur sententia, quam amplectitur Benedictus XIV *op. et lib. cit.º cap. 10 num.º 8º*, nempe ab Alexandro III *cap. 1º h. t.º* fuisse Episcopis sublata beatificandi facultatem ad impediendos in re tam gravi quoscumque abusos. Cum vero hoc praeceptum forte ab omnibus Episcopis non fuisset executioni mandatum ut abstinerent, omnis et quaecumque controversia sublata est per Bullam Urbani VIII editam *anno 1634*, cum in ea clare statuti fuerint fines auctoritati Episcopali, et omnia ad cultum publicum Beatorum pertinentia, et ipsa servorum Dei beatificatio fuerit clarissime Sedi Apostolicae reservata. — Canonizatio, quae verum et definitivum iudicium Pontificis continet versatur super *facto dogmatico* attingente scilicet regulam morum et considerato ut quaedam fidei nostrae professio, prout docet S. Thomas in *Quodlibeto 9º quaest. 7ª art. 16º*, sed Pontifex est infallibilis in factis dogmaticis definiendis, ut post Jansenianam haeresim ab omnibus catholicis teneri debet; ergo in canonizatione ejus iudicium est irreformabile. Id quoque pari ratione tenendum

esset de beatificatione respectâ materiâ seu causâ; nisi quod haec sit differentia, quod in beatificatione non panditur iudicium undequaque definitivum et ultimum, cum, ut habet Benedictus XIV *op. et lib. cit.º cap. 42 num.º 10* sit permittens non praecipiens, et ad finem utique conducat, sed non sit extremum. — Advertendum hic est Constitutionem Sixti IV relatam in *cap. 2º h. t.º inter extravag. comm.* hodie locum non habere, cum ex Bulla dogmatica Pii IX quae incipit « *Ineffabilis Deus* » data *anno 1854* de fide sit: « Doctrinam, quae tenet Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae Conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani generis ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam. »

3.º Subsequitur Concilium Tridentinum *loc.º cit.º* edicens: « Sanctorum quoque martyrum et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quae viva membra fuerunt Christi et templum Spiritus Sancti, ab ipso ad aeternam vitam suscitanda et glorificanda a fidelibus veneranda esse, per quae multa beneficia a Deo hominibus praestantur, ita ut affirmantes sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi, vel eas aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandae causa sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandos esse,

Handwritten notes:
 Canonizatio delegabilis non est
 beatificatio non est
 delegabilis non est
 Canonizatio non est
 delegabilis non est
 beatificatio non est
 delegabilis non est
 Canonizatio non est
 delegabilis non est
 beatificatio non est
 delegabilis non est

prout jam pridem eos damnavit, et nunc etiam damnat Ecclesia. » Qua doctrina proposita Concilium Tridentinum insistens in sanctionibus veterum canonum circa venerationem sacrarum reliquiarum onerat conscientiam Episcoporum et Ordinariorum locorum, eisque necessariam, quatenus opus sit, auctoritatem impertitur. — Episcoporum proinde erit: — (α) eruere extrahere et transferre reliquias, ut deinde venerationi exponantur ex *can. 37 de Consecrat. dist. 1.^a* Huc refertur *articulus XV excommunicationum Romano Pontifici simpliciter reservatarum* in Constitutione « *Apostolicae Sedis* » qui plectit: « Extrahentes absque legitima venia reliquias ex sacris coemeteriis sive catacumbis Urbis Romae ejusque territorii, eisque auxilium vel favorem praebentes » quique articulus desumptus est ex Constitutione Clementis X « *Ex Commissae nobis* » diei 13 Januarii 1672. In qua Constitutione traditur quoque modus servandus a Cardinali Vicario ejusque officialibus in extrahendis et asservandis Sacris Reliquiis. — (β) Episcoporum est invigilare ut in reliquiarum veneratione omnis superstitio et omnis turpis quaestus eliminetur. Turpis autem hic quaestus dupliciter intervenire potest, nempe exponendo reliquias quaestus causa, idest ut largiores oblationes fiant; vel secundo ut reliquiae exponantur venales, cum in hoc altero casu habeatur vera simonia et sacrilegium. Quando autem dicimus non posse exponi venales has reliquias, non dicimus semper esse interdictam

illarum acquisitionem pretio; nam est casus jam a Theologis et Juristis notatus, ut refert. P. The-saurus *de poenis ecclesiast. verb. Reliquiae cap. 1^o* quo licet reliquias de manibus infidelium et haereticorum pretio redimere. Qui casus infaustis hisce temporibus in nostra Italia fuit et est maxime practicus, cum in direptione Ecclesiarum ad Regulares pertinentium legaliter facta a Judaeis et haereticis vel impiis hominibus vel subtractae vel etiam emptae sint insignes Sanctorum Reliquiae ut deinde ex iis lucrum facerent eas catholicis offerentes. Qua in re dum detestari non desistimus istorum malitiam et turpem lucrandi libidinem, non possumus dignis laudibus non prosequi catholicorum Clericorum et laicorum pietatem, qui ad hos spirituales thesauros comparandos sumptibus non parcunt, easque deinde reliquias sic redemptas debitae restituunt venerationi. — (γ) Ad Episcopos spectat noviter inventas reliquias recognoscere et approbare antequam venerationi fidelium exponantur. Idque valet etiamsi agatur de istis Reliquiis exponendis in Ecclesiis Regularium exemptorum. Imo donec Episcopus recognoscat potest mandare, ut custodiantur in loco sibi bene viso, et apud se clavem retinere ex decreto S. Congregationis Concilii *in Viterbien. diei 25 Junii 1627 lib. 3^o Decretor. pag. 288*. At si agatur de reliquiis ab antiquo publicae venerationi expositis in Ecclesiis Regularium, Episcopus nequit eas visitare licet constet numquam fuisse visitatas ex De-

creto ejusdem S. Congregationis in *Urbinate*. *Visit. Liminum diei 19 Martii* 1663. — (δ) Demum ad Episcopos spectat curare ne populus in hac re magni momenti decipiatur variis figmentis aut falsis documentis id est relatis falsis miraculis. Et huc spectat Constitutio Léonis X edita in Concilio Lateranensi *V die 13 Decembr.* 1516, quae incipit « *Supremae Majestatis* » in qua infligitur excommunicatio Papae reservata contra audentes sub confictorum miraculorum mendaciis errores fraudesque disseminare. Quae Constitutio etsi quoad censuram non vigeat, utpote non relata in Bulla « *Apostolicae Sedis,* » quoad mandatum tamen vigeat, et Episcopi possunt contra eos procedere poenis a se statutis. Ad hoc sese refert illa laudabilis praxis nonnullorum Episcoporum, qua fit, ut si in aliquo Sanctuario ex divina miseratione aliquod prodigiosum signum aut miraculum contingat, Episcopi super eo faeto processum regularem compleant, et edant. Haec enim praxis dum ex una parte exhibet legitimas probationes de veritate facti miraculosi, ex altera tollit quascumque exaggeratas et non veras relationes, et S. Rituum Congregatio exhortata est non semel Ordinarios locorum ad eam frequentandam; est enim factum Episcopale seu Ordinarium, quod maxime fovet pietatem, et ad quod edendum ipsi omnimoda auctoritate a jure donati sunt.

4.º Docet demum in cit.º Decreto Concilium Tridentinum Imagines Christi, Deiparae Virginis

et aliorum Sanctorum in templis praesertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendae, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quae in idolis spem suam collocabant: sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant, ita ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus, et Sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur. Id quod Conciliorum, praesertim vero secundae Nicaenae Synodi, decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum. Illud vero diligenter doceant Episcopi, per historias mysteriorum nostrae redemptionis, picturis vel aliis similitudinibus expressas, erudiri et confirmari populum in articulis fidei commemorandis et assidue recolendis; tum vero ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi, non solum quia admonetur populus beneficiorum et munerum, quae a Christo sibi collata sunt, sed etiam quia Dei per sanctos miracula et salutaria exempla oculis fidelium subjiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem vitam moresque suos componant, excitenturque ad adorandum ac diligendum Deum, et ad pietatem colendam. Si quis autem his decretis contraria docuerit aut senserit: anathema sit. In has autem

sanctas et salutare observationes si qui abusus irrepserint, eos prorsus aboleri sancta Synodus vehementer cupit, ita ut nullae falsi dogmatis imagines et rudibus periculosi erroris occasionem praebentes statuatur. Quod si aliquando historias et narrationes Sacrae Scripturae quum id indoctae plebi expediet, exprimi et figurari contigerit, doceatur populus, non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici vel coloribus aut figuris exprimi possit. — Super hac parte Decreti utimur iis animadversionibus quae factae sunt a Giraldi *op. cit.*° *part. 2^a sect. 153* nempe: — Huic decreto quoad praeceptum, ut nullae falsi dogmatis Imagines statuatur, accessit decretum Urbani VIII incip. *Sanctissimus sub die 13 Martii 1625* in quo interdicitur pingi Imagines Sanctorum, qui nondum a Sede Apostolica canonizati, vel beatificati sunt, cum radiis, splendoribus, alioque signo, quod cultum indicet, aut praeseferat, sub poenis amissionis earundem, ac pecuniariis, aliisque etiam corporalibus, Ordinariorum, seu Inquisitorum arbitrio infligendis. — Quod decretum ab eodem subinde confirmatum, et declaratum fuit sub *die 6 Julii 1634* Constit. « *Coelestis Hierusalem,* » prohibente, ne sic pictae teneantur, exponanturque ad venerationem tam in Ecclesiis publicis, sive saecularibus, sive Regularibus quam in Oratoriis, caeterisque privatis locis. — Accessit etiam alia ejusdem Pontificis Constit. « *Sacrosancta Tridentina* » 15 *Martii 1642* in qua expresse inhaerendo huic

Tridentini decreto, prohibuit Imagines Christi, B. M. Virginis, Apostolorum, et Evangelistarum pingi cum habitu, vel forma nova, alias in Ecclesia non usitata, neque cum habitu Regularium, praecepitque, ut sic pictae deleantur, et reformentur, data facultate locorum Ordinariis judicandi, et puniendi etiam Regulares, revocatis quoad hoc exemptorum privilegiis. — Prohibuit insuper, ne Sanctorum Imagines pingerentur habitu profano, vel indecentiam, aut inhonestatem praeseferentes. — Quoad simulacrum vero Dei Patris accessit damnatio sequentis Propositionis, XXXVI in ordine inter proscriptas ab Alexandro VIII *die 7 Decembr. 1690.* — Dei Patris sedentis simulacrum nefas est christiano in templo collocare. — Quoad Imagines Spiritus Sancti sub humana specie depicti, accessit Constit. Benedicti XIV « *Solicitudini nostrae* » 1 *Octob. 1745,* in qua improbantur hujusmodi Iconis usus, aliaeque superstitiones circa Sanctissimae Trinitatis Imagines. — Quibus decretis et Constitutionibus insistens jugiter S. Congregatio Rituum quascumque novitates interdixit; et nuperime sequentia prodire decreta: — Capuana, Portus Aloisii et SS^{mae} Conceptionis de Chile. — Quum non solum in fidelium domibus, sed etiam modo in Ecclesiis venerationi soleant exponi imagines B. M. V. assertas quasdam ejusdem Virginis apparitiones repraesentantes, E^{mus} et R^{mus} D. Card. Franciscus Xaverius Apuzzo Archiepiscopus Capuanus, R^{mus} D. Guilelmus Scharishik

Episcopus Portus Aloisii et R̄mus D. Josephus Solas Episcopus SS̄mae Conceptionis de Chil  a Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humiliter postularunt, nimirum:—
 Dubium I. An possit ab Ordinariis permitti, vel saltem tolerari ut ad publicam fidelium venerationem exponantur in Ecclesiis imagines, seu simulacra B. M. V. sub titulo *de Lourdes*, et *de la Salette*, nec non Immaculatae Conceptionis lucis radios e manibus emittentis? — Dubium II. Num ab Apostolica Sede approbatae fuerint apparitiones, seu revelationes, quae contigisse perhibentur, quaeque cultui B. M. V. sub memoratis titulis causam praebuerunt? — Dubium III. An pium sodalitiolum B. M. V. *de la Salette* dicatum ab Ordinario dioecetano admitti valeat? — Dubium IV. An festum B. M. V. sub eodem titulo cum Missa et ritu duplici primae classis cum octava ibidem celebrari possit? — Dubium V. An litaniae speciales apparitionis B. M. V. *de la Salette* ibi recitari valeant? — Quae quidem dubia quum subscriptus Cardinalis Praefectus in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitii hodierna die ad Vaticanum habitis retulerit, Ēmi et R̄mi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, auditis votis tum alterius ex Consultoribus Theologis tum R̄mi D. Assessoris, omnibus mature perpensis ac consideratis, rescribendum censuere: — Ad I. Affirmative, servatis tamen cautelis, praesertim Decreto Sacrosanctae Tridentinae Synodi de invoc. venerat. et reliquiis

Sanctorum et Sacris Imaginibus (*sess. 25*) praescriptis, et sa: me: Urbani VIII Constitutione « *Sacrosancta Tridentina Synodus* » diei 15 Maii 1642 confirmatis. — Ad II. Ejusmodi apparitiones seu revelationes neque approbatas vel damnatas ab Apostolica Sede fuisse, sed tantum permissas tanquam pie credendas fide solum humana, juxta traditionem quam ferunt, idoneis etiam testimoniis ac monumentis confirmatam. Nihil proinde obstare quin Ordinarii pari ratione se gerant: facta desuper (si de opere typis vulgando agatur) in eodem sensu opportuna declaratione seu protestatione, ad tramitem Decretorum praelaudati Urbani Papae VIII. — Ad III. Affirmative, sed in admissione dicti sodalitioli stetur, quoad titulum, praxi adhibitae in approbatione ejusmodi Confraternitatis Romae erectae in Ecclesia Sancti Salvatoris in Thermis, nimirum *Beatae Mariae Virginis Reconciliatricis peccatorum* vulgo *de la Salette*. — Ad IV. Negative, nisi de speciali et expressa Apostolica facultate. — Ad V. Negative. — Atque ita rescripsere ac servari mandarunt die 12 Maii 1877. — Vivarien. — R̄mus D. hodiernus Episcopus Vivarien. a Sacra Rituum Congregatione humiliter insequentis dubii solutionem expostulavit, nimirum:— An publicae venerationi, prouti in pluribus suae Dioeceseos locis jam obtinet, exponi possint simulacra, seu statucae D. N. J. C. Suum Cor Sacratissimum monstrantis Beatae Margaritae Alacoque ad ejus pedes provolutae? — Quod quidem du-

bium quum subscriptus Cardinalis Praefectus in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitibus hodierna die ad Vaticanum habitis retulerit, Eñi et Rñi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, auditis votis tum alterius ex consultoribus Theologis tum Rñi D. Assessoris, omnibus mature perpensis ac consideratis, rescribendum censuere. — Negative, inconsulta Sede Apostolica juxta Decretum sa: me: Alexandri Papae VII *die 27 Septembris 1659*. Atque ita rescripsere ac servari mandarunt *die 12 Maii 1877*.

TITULUS XLVI.

De observatione jejuniorum.

1.º Christianis ex praecepto Ecclesiae impositum est, ut in quadragesima, in quatuor anni temporibus et aliis nonnullis diebus, ac vigiliis de praecepto servent jejunium; in diebus Veneris et Sabbathi cujuscumque haebdomadae vero servent abstinentiam a carnibus, salvis consuetudinibus aliquarum terrarum, quibus, ut ait *cap. 2 h. t.º* in illo die carnes sumuntur. Videndum porro est quid importet lex jejunii et lex abstinentiae a carnibus, quam supra innuimus. — Jejunium, ut cum communi tenet Layman *Theol. moral. lib. 4º tract. 8º cap. 3º* est: « abstinentia a quibusdam cibis cum unica refectione in die hora competenti sumenda. » Unde duo sunt jejunii elementa, nempe abstinentia a quibusdam cibis, et unica refectio

in die. — Ab hac lege nonnulli sunt *exempti*, alii *excusati*, alii *dispensati vel indultarii*. Exemptio id operatur, ut exempti nullo modo legis rigorem perferant neque quoad primam neque quoad alteram partem, proinde isti neque tenentur abstinere ab aliquibus cibis, neque unicam servare refectioem in die, et tales sunt minores septem annis, dementes, et infirmi illius nempe infirmitatis, quae cum jejuniis incompatibilis sit. Pro istis proinde dies jejunii non sunt, sed omnes dies sunt liberi. Omnes alii christiani utpote Ecclesiae legibus subjecti lege jejunii per se tenentur, sed aliqui impune illam non observant, vel quia excusati vel quia dispensati sunt. Excusatio vero venit *a jure*, *dispensatio* autem *ab homine*. — Excusatio a jure datur, aut: — 1° propter debilitatem corporis, ut pro iis, qui annum aetatis vigesimum primum non compleverunt, sive qui in annis senectutis vivunt, vel ab infirmitate mox convalescerunt et vocantur aegrotantes; aut: — 2° propter asperitatem laboris, qui nimium vires consumit. Dispensatio demum datur a legitimo Superiore vel propter peculiare petentis rationes, vel propter causam communem. Hoc autem maximum discrimen est inter excusationem et dispensationem, ut neutra tollat in totum legem jejunii, sed excusatio a jure data absolvit a lege uniceae in die refectioem, at remanet alia pars legis implenda, nempe abstinentia a quibusdam cibis, e contra dispensatio absolvit a lege abstinentiae ciborum, sed integram facit manere legem uniceae comestioem. At dispen-

satio seu indultum non ita absolvit a lege abstinentiae in diebus jejunii servandae, ut aliquibus finibus non comprehendatur; namque prout constat ex sequentibus Constitutionibus Benedicti XIV, nempe « *Non ambigimus* » diei 30 Maii 1741, « *In suprema* » diei 22 Augusti 1741, « *Libentissime* » diei 10 Junii 1745, in qua inserta est Littera Decretalis « *Si fraternitas* » scripta ad Archiepiscopum Compostellae die 8 Julii 1744, et ex Constitutione Clementis XIII « *Appetente* » diei 20 Decembris 1759 dispensatio vescendi carnibus tempore jejunii datur geminis hisce adjectis conditionibus videlicet uniceae in die comestioem, et non permiscendarum epularum, et illi qui hac dispensatione utuntur, sub gravi ad binas ipsas condiciones implendas obligantur. — Ex citatis vero Constitutionibus clare patet: — 1° utrumque grave praeceptum uniceae comestioem in die, et non permiscendi epulas licitas cum interdictis etiam extra quadragesimam urgere iis diebus, quibus servandum est jejunium de praecepto. — 2° Epulas licitas, quae vetantur cum interdictis conjungi pro iis, quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas: epulas vero interdictas esse pisces, adeoque utrumque simul adhiberi non posse. Piscibus tamen edendis non interdici eos, quibus datur tantum facultas adhibendi ova et lacticia. — 3° His, quibus concessum est vesci carnibus, non licere in vespertina refectiuncula ea

quantitate carnis vesci, quae jejunantibus permittitur; sed opus habere uti eo cibo eaque portione, quibus utuntur homines jejunantes recte meticulousae conscientiae. — 4° Praeceptum de utroque epularum genere non miscendo quoque Dominicas quadragesimales complecti: ab iis vero, quibus jejunii tempore vesci carnibus permittitur, non modo unicam comestionem, verum etiam horam jejunantibus praescriptam observandam esse. — At probe observandum est quandoque *dispensationem* conjungi cum *excusatione*; tunc quia non tenentur unicam servare refectionem ex excusatione, dispensatio taliter procedit ut quoties in die edant, possint vesci carnibus seu uti dispensatione; proinde in hoc casu manebit tantum pro istis lex ecclesiastica de non permiscendis epulis, cum qua conditione datur dispensatio.

2.° Diximus diebus Veneris et Sabbathi per annum servandam esse abstinentiam a carnibus, et tunc huic legi satisfit, si quis a carnibus abstineat non solum eas non comedendo ad morem epularum, sed quoque ab eis abstinendo ad morem condimenti, licet quis vesci possit ovis, lacte, aliisque omnibus, quae ex carne trahunt originem. Quod contra est lege generali in diebus jejunii, in quibus abstinentia non est indicta tantum a carnibus, sed etiam ab iis, quae ex carne trahunt originem, tum ad morem epularum, tum ad morem condimentorum nisi vel longa regionis

consuetudo, quae rationabilis dicitur, cum ex necessitate saltem generali inducatur vel dispensatio Apostolica id permittat.

3.° His adnotatis, atque tractatoribus Theologiae moralis onere relicto tradendi completam theoriam de observatione jejunii et abstinentiae, nonnulla inseremus hic S. Poenitentiariae Rescripta interpretativa. Dicimus jure haec esse rescripta interpretativa dispensationum, namque haec tantum a S. Poenitentiariae emanant, cum Rescripta concessiva dentur a Congregatione S. U. Inquisitionis dispensationum a S. Sede concessarum quoad hanc legem. Sunt autem sequentia ex authenticis documentis deprompta. Primum est Rescriptum Signaturae sub *die 15 Martii* 1824, quod ab Auctoribus citatur sub *die 16 Januarii* 1834. Requisita S. Poenitentiariae: an stante Indulto lacticiniorum in quadragesima, Pater-Familias legitime dispensatus ad carnes edendas, si nolit vel nequeat parare cibos esuriales pro filiis aliisque familiaribus personis, an tales personae valeant dictis diebus carnibus vesci? Et responsum est: « S. Poenitentiariae expositis respondet posse personis, quae sunt in potestate Patris-familias, cui facta est legitime facultas edendi carnes, permitti uti cibis Patrifamilias indultis, adjecta conditione his, qui jejunare tenentur de unica comestione in die servanda, et de non permiscendis epulis. » Mirum

profecto est quot falsis interpretationibus se prae-
buerit hoc Rescriptum, quasi contineret exten-
sionem indulti factam filiis familias, vel Patrem-
familias a quacumque solveret obligatione parandi,
si posset, cibos esuriales pro sua familia. Unde
est, quod ad ejus explicationem data sunt alia Re-
scripta. Die siquidem 6^a *Augusti* 1860 editum est
sequens: « S. Poenitentiaria numquam censuit di-
spensato ob legitimam causam Patre-familias ab
abstinentia carniū in diebus esurialibus, dispen-
satos hoc ipso esse filios sub ejus potestate po-
sitos, sed declarationem tantum modo seu instru-
ctionem dare intendit Confessariis, posse iis per-
mitti justis concurrentibus causis a vera necessitate
petitis, quando aliter se sustentare non possent,
uti cibus Patri-familias indultis. Firma semper
obligatione de non permiscendis licitis atque illi-
citis epulis, et de unica comestione in die pro iis,
qui jejunare tenentur. » Et jam sub *die* 1^a *Maii*
1843 aliud editum erat responsum: « S. Poeniten-
taria declaravit responsionem datam sub *die* 16 *Ja-
nuarii* 1834 non continere dispensationem, neque
declarationem in favorem Patrum-familias, qui-
buscum fuerit dispensatum pro se tantummodo,
quasi possent ex hoc solo titulo vel etiam ex solo
titulo oeconomiae toti familiae apponere cibos ve-
titos; sed continere meram declarationem unice in
favorem personarum sub potestate Patrum-fami-
lias constitutarum, quae per se sibi cibos compa-
rare non possunt, vel non facile possunt, ut sunt

filiū et filiae in aetate minorenni constitutae. » Et
demum requisita S. Poenitentiaria: « Quaenam sit
ratio permissionis factae filiis familias edendi cibos
vetitos, quibus tamen ex indulto Pater-familias
vesci potest? Est ne indultum, quo gaudet Pater-
familias, vel impotentia physica aut moralis, in
qua filii familias versantur observandi praeceptum?
Sacra Poenitentiaria *die* 16 *Decembris* 1862 re-
spondit: Ratio talis permissionis non est indultum
Patris-familias, sed impotentia, in qua versantur
filii familias observandi praeceptum. »

4.^o Alterum Rescriptum est de usu carniū
aliorumque ciborum habito per dispensationem
diebus jejunii. Propositum fuit dubium S. Poeni-
tentiariae: « An qui excusantur ab observantia je-
junii causa laboris, in quadragesima, cum ex di-
spensatione concessus est usus carniū et lactici-
niorum pro unica comestione, possint uti carni-
bus et lacticiiniis in die quoties edunt, quemadmodum
licet (posito tali indulto) in diebus dominicis, in
quibus non habetur lex jejunii, licet in quadrage-
sima sint? Et Sacra Poenitentiaria sub *die* 16 *Ja-
nuarii* 1834 respondit de mandato fel. rec. Pii
Papae VII, fideles, qui ratione aetatis vel laboris
jejunare non tenentur, licite posse in quadrage-
sima, cum indultum concessum est, omnibus die-
bus indulto comprehensis vesci carni-
bus aut lacticiiniis per idem indultum permissis, quoties per diem
edunt. » At Auctores nonnulli non distinguentes inter
excusatos et inter *dispensatos* seu *indultarios* vo-

luerunt hanc responsionem, quae est favore excusatorum, applicare quoque dispensatis. Unde est, quod necessarium fuerit aliud Rescriptum edere. Revera cum S. Poenitentiaria requisita esset: « An iis, qui jejunare non tenentur ratione aetatis vel laboris aequiparandi sint, qui ratione male affectae valetudinis a jejunio dispensantur, ut istis quoque pluries in die vesci carnibus liceat? *die 27 Maii 1863* respondit *non aequiparari.* »

5.° De vitanda promiscuitate ciborum relate ad personas et ad dies quibus lex obligat, nec non quando haec promiscuitas verificetur sequentia habemus Responsa, nempe: — 1° ad ipsam servandam omnes teneri, qui non sunt exempti a lege jejunii, etiamsi sint excusati, sive dispensati. Revera cum S. Poenitentiaria esset requisita: « An pueri, qui non teneantur observare jejunium possint diebus jejunii edere carnes cum piscibus, aut potius obligentur ad observandam ciborum qualitatem? » Sub *die 15 Martii 1837* respondit: « Pueros post septennium teneri observare qualitates ciborum ab Ecclesia praescriptum. » Quae responsio ex sensu contrario firmat regulam, nempe exemptos a jejunii lege observanda, nec abstinentiam servare debere, nec persentire legem vitandae ciborum promiscuitatis; contra vero quoscumque alios etsi excusatos vel dispensatos subdi tamen legi vitandae promiscuitatis. — 2° De diebus, quibus est observanda lex de vitanda promiscuitate ciborum certum est, eam servari debere omnibus diebus, in quibus jejunii

lex est statuta non solum in quadragesima sed etiam in aliis diebus jejunii per annum, ut notum est ex ipsa Constitutione Benedicti XIV. Iterum certum est legem de vitanda promiscuitate ciborum servandam esse in dominicis quadragesimae cum indultum de esu carniarum datum est, et proinde in eadem comestione non licet permiscere istos cibos ex eadem Constitutione. Dubium inter Theologos et Juristas fuit, an eadem lex de vitanda ciborum promiscuitate haberet locum in diebus Veneris et Sabbathi per annum, quibus diebus abstinendum est a carnibus sive per modum epulae sive per modum condimenti; permissis tamen lacticiis et ovis, si quando alicui indultum ex dispensatione sit vesci carnibus. Et in hac re tenendum est hanc prohibitionem originem duxisse a tempore Benedicti XIV non quidem ex citatis Constitutionibus, sed ex quodam Rescripto dato ad preces Archiepiscopi Caesaraugustani, quod Rescriptum revera existit et invenitur relatum in *pag. 14 Voluminis Mensis Januarii anni 1755* in Secretaria Memorialium, et est sequentis tenoris: « Ex audientia SS.^{mi} *die 5 Januarii 1755* Sanctissimus firma remanente dispositione Constitutionum Apostolicarum 30 *Maii et 22 Augusti 1741*, et Declarationum super ipsis a Sanctitate Sua editarum 8 *Julii 1744*, quae in precibus Archiepiscopi Caesaraugustani enunciantur, quamvis illae respiciant tempus quadragesimae aliosque dies, quibus jejunium de praecepto observandum

est; nihilominus ex alia ratione declarat eos etiam, quibus ex justa causa permittitur esus carniū diebus Veneris et Sabbathi aliisque per annum, in quibus praeceptum est abstinendi ab iisdem carnibus absque obligatione jejunii, nequaquam posse una cum carnibus pisces quoque comedere, nisi forte valetudinis causa hoc ipsis a Medicis concessum fuerit. » Hoc rescriptum ab Auctoribus vulgatum a nonnullis fuit consideratum ut universalis obligationis, cum ratio ejus esset declaratoria legis, ab aliis vero fuit retentum prout Rescriptum particulare. In praxi vero ab aliquibus fuit receptum et servatum, ab aliis vero non servatum. At non desinebant multiplicari preces apud S. Poenitentiarium, an scilicet in diebus simplicis abstinentiae ab esu carniū a dispensatis ex indulto servari deberet juxta hoc Rescriptum declarativum Benedicti XIV lex de non permiscendis epulis; donec S. Poenitentaria receptis precibus: « N.N. Confessarius devote petit utrum dispensato ad esum carniū diebus Veneris et Sabbathi per annum, in quibus non adsit lex jejunii, licita sit ciborum promiscuitas non obstante responso *diei* 5 *Januarii* 1755 dato a Summo Pontifice Benedicto XIV Archiepiscopo Caesaraugustano? » Respondit *die* 8 *Februarii* 1834: « S. Poenitentaria proposito dubio diligenter perpenso, factaque relatione SS.^{mo} Dño Gregorio Papae XVI, de ejusdem Sanctitatis Suae Mandato respondet « *permitti.* » Cujus responsionis oeconomia maxime laudanda

est. Nam etsi Auctores diverse sentirent de vi declarationis factae a Benedicto XIV, S. Poenitentaria insinuavit Gregorio XVI, ut nova permissione id sineret, quod ab antecessore Pontifice declaratum erat vetitum; et mandante Gregorio XVI id fuit permissum. Et quoniam in legibus posterior derogat anteriori, hinc factum est ut antiqua declaratio censeatur esse sublata. Neque dicatur id in forma Rescripti factum esse, quia habuit vim legis generalis, cum mandatum sit, ut omnibus supplicationibus semper ita rescriberetur. Imo nonnullis sciscitantibus an illud Rescriptum esset authenticum, respondit affirmative S. Poenitentaria, et deinde ex eo tempore quibuscumque petentibus communicavit Rescriptum praefatum, ut evenit *die* 13 *Martii* 1865, aliisque vicibus. Demum 3^o indicandum est quando habeatur haec vetita ciborum promiscuitas. Quod cum carne non possint in diebus jejunii edi eadem refectione quicumque pisces neque magni neque parvi, id ex citatis Constitutionibus Benedicti XIV manifestum est. Et S. Poenitentaria interrogata; an quando interdicta est promiscuitas ciborum possint cum carne edi illi, qui fructus maris dicuntur, *die* 15 *Martii* 1837 respondit *Negative*. E contra interrogata: an dispensatus ad edendas carnes in diebus jejunii possit in eadem comestione vesci ad consulendum suae valetudini pulmento carnis jure cocto, et de cetero vesci piscibus ut quantum potest observantiam jejunii servet. S. Poenitentaria sub *die* 28 *Fe-*

bruarii anni 1826 (apud Auctores *die 8 Februarii 1828*) respondit « *affirmative.* » Ratio fuit; quia non sunt duo jentacula unum piscium, et alterum carnum, et in materia odiosa, verba sunt stricto sub sensu accipienda. Revera non fuerunt rationes ad dandum responsum affirmativum nec ratio valetudinis, nec ratio affectus observantiae legum; quia cum alii casus fuissent progressu temporis S. Poenitentiariae delati in quibus istae rationes proponebantur, sed simpliciter expostulabant: an diebus jejunii posset ab indultariis edi pulmentum carnis jure cocto et piscibus; data est seu communicata eadem responsio, ut contigit *die 2 Maii 1839, die 28 Februarii 1855, et 28 Februarii 1856.*

6.º De condimentis tandem agendum est. Et in primis notandum est responsum S. Poenitentiariae, quo: « de expresso Pontificis Leonis XII oraculo respondit, quod ii, qui ad jejunium tenentur, licite uti possunt in serotina etiam refectioe condimentis in indulto permissis, quia illa vi indulti olei locum tenent, dummodo in indulto non sit posita restrictio, quod ea condimenta adhiberi possint in unica comestione, ut rescripsit Card. De Gregorio M. Poenitentiarius *die 16 Januarii 1834.* » Deinde aliud rescriptum datum est; nam requisita S. Poenitentiaria: « Concesso condimento adipis, vulgo *di grasso* an possit fieri usus adipis cujuscumque animantis, vel tantum adipis

suini? S. Poenitentiaria in audientia SS.^{mi} *diei 15 Aprilis 1836* facta praemissorum relatione SS.^{mo} Dño Gregorio Papae XVI ex ipsius Sanctitatis suae mandato respondit adhibendum tantum esse condimentum suinum. — Et subsequenti tempore eadem S. Poenitentiaria requisita: — 1º an concesso per apostolicum indultum usu adipis permitti etiam possit adeps caponis saltem ex consuetudine vigente? Et quatenus affirmative: — 2º an etiam permitti possit carnum jusculum? *Die 24 Aprilis 1855* respondit *ad primum* utendum tantum esse condimento suino, prout alias in simili casu *die 15 Aprilis 1836* responsum fuit; Episcopus proinde opportune et prudenter curet contrariam consuetudinem vigentem abolere. Ad secundum Negative. » Quibus addimus aliud responsum. Requisite enim S. Poenitentiaria: « an possit diebus jejunii, in quibus concessio facta est de condimentis adipis, comedi pulmentum vulgo *la Minestra* coctum jusculo carnum, sicut an possint comedi olera jusculo carnum cocta? Sacra Poenitentiaria sub *die 19 Februarii 1841* perensis ex positis et inhaerendo declarationi de mandato SS.^{mi} Dñi Gregorii XVI alias datae respondit adhibendum tantum esse condimentum suinum. » Et cum demum esset requisita an saltem id fieri posset diebus Veneris et Sabbathi per annum, cum condimentum adipis indultum est, *die 20 Martii 1847* respondit *negative*; hoc est sub terminis

condimenti adipis vulgo *di grasso* non comprehendi jusculum carnis coctae. » Praeter ea quae diximus consuli potest in hac re Libellus, cui titulus: « *Del Digiuno e della Quaresima, Lettere due di Giuseppe Righetti Sacerdote Romano, edizione seconda Romana.* »

TITULUS XLVII.

De Purificatione post Partum.

1.° Purificatio post partum in nova lege non est praecepta, sicut in veteri lege. Quae lex praecepit, ut mulieribus puerperis determinato tempore aditus Ecclesiae sive templi interdiceretur, et deinde oblatione facta in illud iterum admitterentur religiosa caeremonia peracta. Quod ex praecepto legis in antiquo foedere peragebatur, hoc in novo ex devotione frequentari canones non retinuerunt improbandum, prout edocemur ex *cap. unico h. t.*, et proinde in Rituali Romano, in quo haec pia et laudabilis consuetudo appellatur, habetur ritus benedictionis mulieris post partum. Haec porro functio non est privative Parochialis, nisi aliud ex consuetudine regionis servandum sit; proinde in expositione hujus tituli Doctores, et praesertim Gi-

raldi *op. cit.*° *part.* 1^a *sect.* 627, unice quaerunt quænam sint functiones de jure Parochiales, et quæ mere Sacerdotales existant, quarum enumeratio habetur apud eundem Giraldi *citata sectione.*

TITULUS XLVIII.

De Ecclesiis aedificandis et reparandis.

1.° Patet ex ipsa tituli Rubrica, duas esse hic quaestiones pertractandas, nempe de Ecclesiarum aedificatione, et de earundem reparatione. Quoad primam vero quaeri potest, an sit necessaria venia Auctoritatis ecclesiasticae, vel potius liberum cuique sit nova templa excitare? Et responsio in promptu est esse hanc veniam necessario requirendam et habendam. Praecisione etenim facta de Oratoriis privatis, quæ unusquisque fidelium in domo sua construere valet irrequisito quovis Superiore ecclesiastico, ut habet *can. 33 de Consecrat. distinct. 1^a*, et communiter a Doctoribus admittitur, cum cultus publicus in Ecclesiis debeat exhiberi, nemo fidelium eas aedificare potest non petita et habita venia ab Auctoritate ecclesiastica.

Quid quod cultus publicus in eis exerceri nequit, nisi ab Episcopō recipiant consecrationem, aut saltem benedictae sint ministerio Sacerdotali? Haec omnia manifesta sunt ex *can. 9 de consecr. dist. 1^a*, et conveniunt omnes Doctores. Unde si in loco exempto sit Ecclesia aedificanda, requiritur venia Pontificis, si autem in Dioecesibus, requiritur venia Episcopi Dioecesani. Qui tamen Episcopus nequit ex communi Doctorum veniam petentibus denegare, nisi obsistendi habeat justam causam; secus enim ad Superiorem fieri potest recursus, qui interponet suam Auctoritatem supplendo hunc actum, vel adigendo Episcopum, ut tale officium compleat. At quaenam sunt causae rationabiles a canonibus admissae, quarum una vel altera existente Episcopus aedificationi obsistere valet? Duae recensentur, nempe defectus dotis vel alterius jam existentis Ecclesiae praejudicium, de quibus nunc est paulo fusius loquendum.

2.^o Episcopum posse suum consensum denegare imo debere Ecclesiae aedificationi, si ea non sit sufficienter dotata Doctores ex praescripto canonum unanimiter arguunt, adeo ut si Ecclesia fuerit aedificata cum consensu Episcopi non sufficienter dotata ipse Episcopus teneatur supplere defectum dotis de proprio; quemadmodum si ordinavit Clericum absque titulo, tenetur eum alere, prout tenet cum aliis Engel *num. 6^o h. t. 6^o argum. cap. 8 de consecr. dist. 1.^a* Sufficientis autem vel congruae dotis nomine juxta *can. 9 de consecrat.*

dist. 1^a veniunt omnes qui requiruntur redditus pro luminaribus, paramentis, fabrica, Sacerdotibus, ministris, aliisque necessariis Ecclesiae ab aedificatore praestandis. Quae dos si in terris seu possessionibus esset constituta dicebatur *Mansus* ex *glossa in cap. 1 de censib.* id est quae sufficeret ad laborem annum duorum boum; secus si in pecunia constitueretur aut in aliis bonis, nam praestanda erat tanta quanta pro antedictis muneribus explendis fuisset sufficiens. Istius dotis totalis exhibitio facienda non est, quando aedificatur Ecclesia pertinens ad Religiosos mendicantes, quia in hoc casu habetur ratio ad consuetas eleemosynas, prout notatum est in *titulis de Regularibus*. Huc spectat, quod notatur in *titulo de Consecratione Ecclesiarum*, nempe consecrationem esse ab Episcopo denegandam nisi de congruentia ejus dotis constet. — Aliud quod obstare potest aedificationi novae Ecclesiae est probabile praejudicium circumstantium Ecclesiarum jam aedificatarum, et canones ad id respiciendum esse praecipunt, ut *can. 44 caus. 16 quaest. 1^a et cap. 1 de nov. oper. nuntiat.*, ibi. « Nulla Ecclesia in praejudicium alterius est construenda. » Praejudicium autem in pluribus esse potest puta ex diminutione decimarum, oblationum, aliarumque possessionum aut jurium, et etiam consuetarum eleemosynarum pro Ecclesiis regularium. Unde est quod in antecessum debeant audiri circumjacentes Rectores Ecclesiarum, patroni aliique, ut objiciant si eis praejudicium adveniat ex hac nova aedificatione;

et si id non fiat, isti possunt aedificanti novum opus nuntiare ex *cap. 1 et 2 de novi operis nuntiatione*, ex quo fit ut debeat cessari a constructione aedificii, et si quid deinde fuerit molitum, debeat utpote attentatum destrui expensis aedificantis, antequam in causa procedatur. Episcopus autem videbit de probabilitate istorum praejudiciorum et debet deferre justis reclamationibus. Aliquando tamen Ecclesiae aedificatio est necessaria, ut in casu contemplato a Concilio Tridentino *sess. 21 cap. 4° de reform.*, et tunc Episcopus auditis partibus procedere quoque valet ad aedificationem novae Parochialis Ecclesiae ipsis invitis, quemadmodum fuse expositum est in *titulo De praebendis*; ibique declaratum quomodo providendum sit expensis necessariis pro illa necessaria constructione.

3.° Altera pars tituli loquitur de reparatione Ecclesiarum. Hoc a jure vocatur opus necessarium, a quo exemptio non fit, nisi quando sufficientia media non habentur ad hoc opus implendum, ut patet ex Concilio Tridentino *sess. 21 cap. 7° de reform.* Tota proinde quaestio in hoc est, ut juxta canones quaeramus quarum personarum expensis debeat fieri haec reparatio. Cum vero nequeat dari unum idemque responsum pro reparatione omnium Ecclesiarum, hinc secundum monitum Doctorum distinguimus Ecclesias in Cathedrales, Collegiatas, Parochiales, et simplices. — Quod attinet ad reparationem Ecclesiarum Cathedralium, quo sub nomine veniunt quoque Ecclesiae metropolitanae,

primatiales et patriarchales rem clare exponit Sperellius in *Decisione 68 num. 20*: « Si agitur de » instauranda Ecclesia Cathedrali latior distinctio » seu graduatio facienda est, nam et hoc in casu » prius ad portionem pro fabrica destinata, deinde » recurrendum est ad consuetudinem; quibus ces- » santibus Episcopus tenetur dare quartam partem » fructuum suae mensae tam praesentium quam » futurorum: qua non sufficiente pro fabrica neces- » saria, non tamen ad ornatum, tenentur canonici » de praebendis (deducto ne egeant) contribuere; » et illis quoque non sufficientibus possunt ceteri » in dicta Ecclesia beneficiati juxta vires, et deinde » etiam totus Clerus ab Episcopo cum consensu » majoris partis Capituli ad contribuendum cogi; » et denique in subsidium tenetur contribuere po- » pulus: ita latissime varias antiquorum reassu- » mens opiniones consuluit *Boerus cons. 3° et Bar- » bosa cons. 25 vol. 3°*. Manutentio autem seu » reaedificatio Ecclesiae aediumque illi adnexarum » eodem jure definitur juxta *can. Boni principis » dist. 96.* » — Relate ad Collegiatas Ecclesias de- » ficientibus redditibus fabricae et consuetudine ut supra tenetur Episcopus concurrere, si consuetudo id ferat, prout judicatum fuit in *Castellanet. 24 Julii 1858*, et secundo Clerus de eadem Collegiata cum illa gradatione antea relata. Caeterum hodie pro Italia et insulis adjacentibus observanda est Constitutio Benedicti XIII, quae incipit « *Pius et misericors* » data quarto Idus Martii 1725, qua

cavetur, ut ad restaurationem Cathedralis omnes beneficiati Dioecesis, exceptis beneficiis Collegiatarum, teneantur solvere primo anno *mediam annatam* seu dimidium reddituum beneficalium primi anni; et similiter pro restauratione Collegiatae omnes ejusdem beneficiati teneantur eandem *mediam annatam* soluere, a qua persolvenda neque immemorialis consuetudo absolvere potest. Consultissime autem advertit Lucidi *op. cit.º part. 1ª vol. 1º pag. 63.* « Quoniam per hanc Benedicti XIII Constitutionem sacrorum canonum statuta et praesidia sublata vel imminuta non sunt, firmissimum remanere decernitur reparandae Cathedralis onus, quod Episcopis a jure injunctum est; neque etiam eadem constitutio habet locum, quando reperitur opus seu patrimonium peculiare fabricae sufficienter instructum, aut onus vel obligatio restorationis ac tuitionis residet penes communitates laicorum, vel adsunt dictarum Ecclesiarum patroni, qui nisi reparare velint ac manutenere easdem Ecclesias, earum patronatum amittunt. »

4.º Pro reparatione Ecclesiae Parochialis habentur statuta Concilii Tridentini *sess. 21 cap. 7º de reform.* Series autem per gradus eorum, qui tenentur ad hanc reparationem Ecclesiae Parochialis datur a S. Congregatione Concilii in *Spoleтана Restaurat. Dom. Parochial. diei 18 Decembr. 1847* in haec verba: « Itaque primo loco Ecclesiarum Parochialium statui prospiciendum est ex fructibus et proventibus Ecclesiae. Secundo

sumptibus eorum, qui ex Constitutione aliqua vel statuto ad id obligantur. Tertio loco, eorum expensis, siqui sunt, qui ex antiqua ac certa consuetudine obstringuntur: haec autem ad inducendam coactionem esse debet idonea. Inter illos... nedum privatae personae, sed et *moralia* ut ajunt, *corpora*, ex. g., municipia comprehenduntur, uti statuit haec S. C. in *Balneor. Rest. Eccl. Par. 15 Septemb. 1838 confirmata die 1 Februar. 1840.* Quarto expensis Parochi, si tamen idem Parochus amplo censu potiat, et postquam necessarij ad ejusdem alimoniam sumptus deducti fuerint: quod si congruo censu destitutus sit, a reparationum onere exemptus abire permittitur. Et hac quidem in sede una cum Parocho locum habere debent non solum ii, qui pensiones, (dummodo hae libere assignatae non fuerint) ex Parochiali dote percipiunt, sed etiam qui simplicia beneficia in Ecclesia Parochiali possident. Quinto loco onus reficiendi Parochiale templum Patronis imponitur, si nimirum patronatus jura retinere velint. Porro Patronis congruus terminus praefigitur, ut Ecclesiam reparent, quo inutiliter elapso, omni patronatus jure cecidisse declarari possunt. (Vide Bened. XIV *Inst. cap. 100 n. 14* et recenter S. C. Ep. et Reg. in *Bononien. Reaed. Eccl. 15 Jun. 1855.*) Sexto loco ad taxationem populi deveniendum est, sicuti videre licet in *Imolen. Rest. Eccl. Par. 6 Septemb. 1785*, ubi S. C. definivit ad riparationem Ecclesiae *teneri populum et possidentes in districtu Paroe-*

ciae per aedem et libram, et hujusmodi declarationem confirmavit *die 10 Jan. 1784*. Exceptio fit, si Paroeciae incolae pauperrimi sint, tunc enim adigi nequeunt. Septimo loco si Parochialis Ecclesia censu divite praedita sit, quin Parochi redditus nequaquam distinguantur, census hujusce partem alienandi facultas postulari poterit, ad sacras aedes reparandas, vel a fundamentis extruendas. Praeter haec, alia etiam suppetunt extra ordinem remedia ope S. Congregationis obtinenda, videlicet Capelaniarum suspensio ut in *Tiburtina Susp. cap. 17 Febr. 1816*, census impositio super bonis Ecclesiae S. C. *Forolivien. 13 Jun. 1789 ad 1 dub.*, ac etiam Missarum reductio in *Veliternen. Susp. Miss. 18 Septemb. 1790 ad 1 dub.* — Ea vero quae de reparatione Ecclesiae sancita sunt, reparationi quoque domus Parochialis similiter accommodantur, prout pluribus adductis Superiorum temporum declarationibus eadem S. Congregatio confirmavit in citata causa *Spoletana*. — Demum pro reparatione Ecclesiarum simplicium dicendum est, eam, deficiente fabrica et redditibus Ecclesiae ad ejus reparationem et manutentionem destinatis, vel consuetudine vel legato vel statuto, faciendam esse sumptibus patroni, (si est juris-patronatus), et si post terminum ipsi Patrono praefigendum non reficitur, poterint aliis cedi, qui ex reparatione jus-patronatus acquirunt, ut statuit S. Congregatio Episcoporum et Regularium in *Mutinen. 2 Maii 1601*, quod habet locum etiam in Capellis et Al-

taribus Patronorum sitis in Ecclesiis Parochialibus et aliis, ut censuit S. Congr. in *Faren. 10 Junii 1848*. Quod si non habeat Patronum, omnibus praedictis deficientibus ad eam complendam tenetur beneficiarius seu rector, si beneficium sit pingue, nempe de superfluis post honestam ejus tuitionem; secus si sit tenue et beneficiatus seu Rector resideat, et Ecclesiae servitium operamque praestet. — Idem ordo servandus est ad providendas sacras aedes et Altaria de suppellectilibus. — At si haec quae indicavimus praestari nequeunt pro Ecclesiarum reparatione, tunc juxta Concilii Tridentini decretum *cit. sess. 21 cap. 7°* fit locus Ecclesiarum, sacellorum et Altarium demolitioni, et beneficiorum translationi, aliisque ibi commemoratis. — Hic notandum est sacris ornamentis Cathedralium Ecclesiarum fuisse provisum per Constitutiones Pontificias Pii V « *Romani Pontificis providentia* » *diei 5 Kalendas Septembris 1567* et Pii IX « *Quum illud* » *diei 1 Junii 1847* relatas a Lucidi *op. et loc. cit.°*

pugnantibus.» Dividitur autem haec immunitas in personalem, realem, et localem. Immunitas personalis eximit Clericos aliasque personas ecclesiasticas ab obeundis illis civilibus actibus, quos alii cives necessario obeunt lege, more, imperiove ejus, qui jubendi habet potestatem, quae proprie solent vocari *munera ex leg. 214 Digestor. de verb. signif.*, et ab omnibus aliis civilibus oneribus mere personalibus, prout essent taxae, quae dicuntur *capitationes*. Immunitas realis res, quae ad personas et loca ecclesiastica pertinent, a quibuscumque tributis, vectigalibus, et similibus oneribus pendendis liberat. Localis demum immunitas respicit Ecclesias aliaque loca sacra et religiosa, et propter reverentiam certas actiones in eis fieri prohibet.

2.° Immunitatem hanc ecclesiasticam plenissimo jure tum pontificio, tum etiam civili jamdiu viguisse omnes facile admittunt. Tantummodo inter Doctores quaestio est de origine ejusdem. Et in hoc sunt plures sententiae. Prima tenet cum Layman *lib. 4.° tract. 9 c. 8.° num. 1.°* et pluribus hanc immunitatem introductam esse *jure divino* scilicet *naturali et positivo*, ad quod ostendendum utuntur argumentis: — 1.° ex communi calculo omnium nationum, etiam quae viverent in falsa religione, quae retinuerunt templa, personas cultui mancipatas, resque ad eas pertinentes exemptas esse a principum auctoritate, quae communis opinio explicari nequit nisi admittendo in hoc dictamen legis naturalis, — 2.° quod istius immu-

TITULUS XLIX.

De Immunitate Ecclesiarum, Coemeterii
et rerum ad eas pertinentium.

Immunitas Liberae ab aliquo onere

1.° Quamvis juxta rubricam tituli hic non comprehendatur immunitas personarum ecclesiarum, nihilominus de ea quoque agendum hic censemus, quia nonnulla habentur capita in Decretalibus Gregorii IX, quae hanc respiciunt personalem immunitatem, licet de ea jam sermo in diversis titulis factus sit et postmodum fiet. Immunitas a Doctoribus fere eodem modo definitur, sed magis completa mihi videtur definitio tradita a Reiffenstuel *h. t.° num. 4* quae complectitur omnes ejus species, nempe quod sit: « Jus, quo Ecclesia, et alia loca sacra, nec non personae ecclesiasticae ac res ipsarum liberae et immunes sunt a muneribus et oneribus saecularibus, atque ab actibus eorum sanctitati et reverentiae debitae re-

1.° par. c. Quid
2.° par. Quid
3.° par. Quo jure

2.° par. Quid. Habetur Canon.

nitatis initia in Ecclesia lateant, et ubique ac semper viguerit, atque consuetudo contraria recognita semper fuerit irrationabilis, prout ab omnibus Doctoribus catholicis talis retinetur, — 3° quod nonnullis verbis Christi *Matth. cap. 17 v. 25* roboratur, et — 4° clarissimis dictionibus Bonifacii VIII *cap. 4 de censib. in VI* et Concilii Tridentini *sess. 25 cap. 20 de reform.* Contrariam sententiam tenet Alciatus in *cap. cum non ab homine de judic.*, Gonzalez in *cap. 4 h. t.° num.° 8°* alique, nempe hanc inductam esse ex jure humano scilicet ecclesiastico ex hoc quod ex jure naturali non habeamus nisi convenientiam non vero praecisum jus immunitatis, et in lege christiana immunitatis ejusdem non habeamus vestigium, proinde ea processit ex lege ecclesiastica. Haec tamen altera sententia non est confundenda cum illa quam amplexi sunt paucissimi inter Doctores catholicos, et est communis inter eterodoxos, scilicet hanc immunitatem ortum habuisse simpliciter ex concessione potestatum civilium et pia Imperatorum largitione; quod indultum, ut ferunt moderni Juris publici tractatores Ecclesiae infensi, mutata temporum et societatis conditione est tollendum, cum hodie vigeat principium, quo omnes in societate quavis debeant esse aequae legi subjecti. Mihi magis fundata videtur cum Lessio *lib. 2° de justit. et jure cap. 31 num. 2°* aliisque sententia, quae tenet immunitatem ecclesiasticam habere *fundamentum* in jure divino et naturali, sed *formaliter* esse re-

*Ab initio a Deo recepta potestas a Deo cum fundamento in ipso, natura
firmata a lege aecl. determinata pro diversitate temporum*

petendam ex jure ecclesiastico, videlicet ex canonicis sanctionibus, quas christiani principes, prout debebant recognoverunt. Revera certum est, quod ex jure naturali non habemus nisi convenientiam de statuenda immunitate ecclesiastica, cum sit maxime decens ut Ecclesiae, personae et bona ad illas pertinentia constituentur immunia; sed convenientia non constituit jus praecisum et formale: ex altera vero parte in lege evangelica non habemus praescriptum de hac immunitate, quin imo posset argui hanc non esse ab eo requisitam propter illa verba Christi « reddite ergo quae sunt caesaris caesari, et quae sunt Dei Dio.. » Quod igitur est formale in ea lege immunitatis venit ex praescripto auctoritatis ecclesiasticae. Ecclesia siquidem a Christo habuit auctoritatem ea omnia statuendi, quae ipsa cognosceret esse pro suo honore ac convenientia maxime utilia; et in hac recepta potestate insistens constituit legem immunitatis respicientem loca sacra vel religiosa, personas et bona ad ipsas pertinentia. Qui proinde non respicit ad istam Ecclesiae sanctionem spernit potestatem a Christo Ecclesiae concessam, Dei proinde ordinationi resistit. Et hoc sensu debent intelligi verba Bonifacii VIII in citata Decretali, et Concilii Tridentini in *sess. 25 cap. 20*. Hinc pariter est quod contraria consuetudo retenta sit ut irrationabilis et corruptela; quia non tam legem ecclesiasticam impetebat quam ipsam Ecclesiae Auctoritatem. Ex hoc explicatur quomodo principes christiani ad eam

respicere debuerunt, eamque legem recognoscere. Quemadmodum enim principes civiles absque piaculo nequiverunt non recognoscere Ecclesiam, sic pariter non potuerunt non ratas habere regulas ab ea propositas de immunitate ecclesiastica. Ista proinde non fuit libera Principum concessio, sed necessaria recognitio. Ex quo facile intelligitur quid putandam sit de sententia illorum aulicorum juristarum, qui censent Principes et Statum posse semel recognitam legem immunitatis hodie non amplius recognoscere vel abnegare. Namque imprimis eos urgemus hoc argumento, quod sicut antiquitus ex dictis fuit necessaria recognitio, sic et nunc abnegatio non fiat sine maxima injustitia et impietate. At deinde contra eos est illud juris principium « quod semel placuit, amplius displicere non potest. » Quod si illae immunitatis leges ex mutata societatis conditione amplius servari absque dispendio nequeunt, una relinquatur civilibus principibus via se componendi cum auctoritate ecclesiastica, et ista se exorabilem esse atque promptam ad has leges attemperandas novae societatum civilium conditioni non semel professa est, et de facto pluries id praestitit in Concordatis legibus cum diversis rationibus initis. Quod cum ex una parte demonstret arbitrarium et non qualificabilem agendi modum illorum Guberniorum, quae proprio Marte et irrequisita Ecclesia leges illas violarunt, imo resciderunt; ex altera arguere facit has leges non esse de jure divino sed formaliter saltem pro-

cedere ex jure ecclesiastico; in his enim quae de jure divino sunt Ecclesia non admittit nec admittere potest transactionem, et amicabilem compositionem, ex qua aliquid remittitur, sed tantum in iis, quae ecclesiastici juris sunt. Quas vero mutationes in hac re fecerit Ecclesia, inferius indicabimus postquam immunitatis legem proposuerimus.

3.° Immunitatem personalem Clericorum docet cum communi Schmalzgrueber *h. t.° num.° 9°* importare: — 1° privilegium canonis, — 2° privilegium fori, — 3° exemptionem ab obligatione legum civilium, — 4° exemptionem ab oneribus personalibus, — 5° exemptionem ab oneribus patrimonialibus. — Cumque de primis tribus in aliis titulis sit sermo, hic de quarta tantum exemptione agemus, reservantes loqui de quinta in immunitate reali. Inter onera personalia recensebatur antiquitus *Capitatio*, de qua in *Leg. unic. Cod. de capitatione civium*, quae nostris temporibus correspondet *Taxae sull' industria e mestieri*, et hodie uni ex articulis *Taxae di ricchezza mobile*. Huic *taxae Clerici non subdebantur ex cap. 1° h. t.° in VI*, et *leg. 1^a et 2^a Cod. de Episc. et Cleric.* Sicut erant immunes a muneribus publicis tutelae, curatellae et militiae; imo hoc militiae munus exercere non poterant *can. 19 caus. 23 quaest. 8^a* neque in bello defensivo, excaepa gravissima necessitate, de qua Doctores loquuntur in expositione *cap. 2 h. t.°* — Nomine autem Clerici utpote

in re favorabili comprehendebantur omnes, de quibus sermo habitus est in titulo primo hujus libri. — Immunitas porro realis eximebat a quacumque taxa vel tributo omnia bona vel fundos ad Ecclesias pertinentes hoc est omnes fundos computatos in patrimonio Ecclesiae sic dictos ecclesiasticos, etiamsi Ecclesia super his servasset tantum dominium directum, comprehensis quoque fundis beneficiorum, imo et eos, qui quavis ratione ad patrimonium Clericorum pertinerent, super quare videri potest inter alios Auctores Giraldi in *op. cit.*° *part. 1^a sect. 634* referentem Decreta SS. Congregationum. Atque haec immunitas realis non poterat violari ab ipsis Clericis pendendo Guberniis taxas absque incursu censurarum, cum hic applicaretur principium « iis, quae jure publico statuta sunt, non potest pactionibus privatorum obviari. » Cavebatur autem in jure ecclesiastico, quod loca pia et Clerici succurrerent extraordinariis necessitatibus statuum, recepta venia et profata causa ab Episcopo vel a Romano Pontifice ex *cap. 3^o et 7^o h. t.*° — Demum ex immunitate locali statutum erat, ut in Ecclesiis aliisque locis Deo sacris vel religiosis non possent agi neque causae criminales neque civiles, aliaque negotia profana, quippe dedicata essent exclusive divino cultui, vel quia ea occupaverat Religio. At insuper loca haec praebant asylum iis personis, quae ad ea confugissent, ne possent a justitia quoque publica apprehendi; quamdiu in iis mansissent; imo nec indi-

recte poterat impediri, ne ad haec loca accederent, aut in iis manerent; et si nihilominus captae fuissent, debebant in loco sacro restitui interminatis gravissimis poenis in eos; qui jus hoc asyli violassent, exceptione facta graviorum criminum, pro quibus non concedebatur hoc privilegium. Nec repellebantur a participatione hujus privilegii personae etsi non fuissent inter christianos computatae, sed exceptio erat criminum commissorum, ad quae attendebatur. In exponendis hisce speciebus diversis immunitatis Doctores fuso calamo procedunt, qui consuli possunt, et praesertim Reiffenstuel et Schmalzgrueber ac Giraldi *cit.*° *se- ctione.*

4.° Praedictum immunitatis privilegium ex Dei ordinatione ab Ecclesia inductum et a statibus recognitum erat maxime rationabile et Ecclesiae ac societati quam perutile. Quod enim respicit immunitatem personalem, interest quod ministri Religionis, aliaque personae Deo dicatae in honore sint et quod servitio divino mancipatae saecularibus negotiis agendis non distrahantur. Optima est ratio, quae redditur in *cit. can. 19 caus. 23 quaest. 8^a* « militum Christi est Christo servire, militum vero saeculi saeculo. » Societati autem civili maximum emolumentum afferunt, cum Religioni inserviant, quae fundamentum est cujusque civilis Reipublicae. Exempta pariter haberi bona Ecclesiarum optime confert bono civilis societatis, quippe id recognitum sit a quibuscumque bene mo-

ratis Rebuspublicis, etiamsi falsae Religioni essent addictae hoc sub principio, nempe exempta esse a status jurisdictione ea bona, quae divino cultui quomodocumque essent addicta. Demum quod spectat ad exemptionem localem, id pariter admissum est communi populorum consensu. Nulla enim tam fera gens fuit, quae non distingueret inter *forum et templum*, ac non putaret templa esse sedem divinitatis, proinde esse exclusive exercitio religionis et cultui addicta; ac denique nulla fuit tam impia gens, quae sontes amplectentes Altaria persecueretur et careret facta distinctione inter crimina graviora et minus gravia. Et revera societates civiles christianae legem hanc seu privilegium per plura saecula libentes respexerunt, quamvis non defuerint casus violationis, prout in humanis aliquando accidit. Verum sub fine saeculi decimioctavi instante spiritu rebellionis et odii contra catholica sacra ac invadente quoque gubernia civilia longe aliter rescesserunt. Imprimis enim contraitum est privilegio immunitatis realis, et bona pertinentia ad Clericos, Ecclesias, et loca pia subjecta sunt iisdem taxis et gravaminibus, quibus bona laicorum subdebantur plaudentibus pluribus incautis, quasi ex hoc fieret quod eorum taxae minuerentur, quae tamen semper aggravatae sunt; donec hodierno tempore pene disparuerit Ecclesiae patrimonium in bonis stabilibus. Pro hac servanda immunitate reali non putavit S. Sedes amplius insistere neque reclamare, et toleravit quod Ecclesia et Clerici re-

late ad bona essent in eadem conditione ac caeteri laici. Hinc est, quod in Constitutione « *Apostolicae Sedis* » disparuerint omnes censurae latae contra eos, qui super bonis Ecclesiae vel Clericorum imponunt taxas, prout Superioribus Canonibus plecebantur. Atque in hac re Ecclesia prudentissime egit ad cessandam invidiam aemulationemque, quasi vellet ditescere alienis dispendiis, dici proinde potest immunitatem realem saltem ex non reclamatione Ecclesiae vel ex ejus taciturnitate in praxi cessasse. Verum, ut in antecessum innuimus, non remansit Ecclesiae conditio sicut et aliorum quorumcumque privatorum, sed ejus bona rapta et usurpata sunt, contra quae crimina in citata Constitutione « *Apostolicae Sedis* » habentur plures interminatae censurae. Ad tuendam immunitatem personalem Clericorum duo articuli propositi sunt in citata Constitutione ab antiquis Canonibus desumpti, nempe articulus VII in excommunicationibus latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatis, et articulus II inter excommunicationes Papae simpliciter reservatas, quod importat eam legem juxta Ecclesiae praescriptum adhuc vigere. Specialiter tamen attendenda est dispositio praecitati articuli VII, cujus tenor est: « Cogentes sive directe sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas, praeter canonicas dispositiones, item edentes leges vel decreta contra libertatem aut jura Ecclesiae. » Ex quo facile intelligi potest quaenam

sit differentia inter antiquos canones, et hanc Constitutionem, in qua anathemate plectuntur non illi, qui quomodocumque coguntur, etiamsi trahant personas ecclesiasticas ad suum tribunal, sed solum cogentes, proinde in facto hic articulus censurarum est interpretationis restrictae et admodum rarae, et paucas numero personas comprehendit in prima parte. Solummodo in altera parte comprehendit omnes, qui edunt leges vel decreta contra libertatem et jura Ecclesiae. Adde in articulo factam esse exceptionem canonicarum dispositionum. Quae canonicae dispositiones verificantur tum si procedant ad morem regulae, tum ad morem rescripti. Et ad morem regulae comprehendunt leges generales in casibus determinatis, et pacta concordata cum diversis nationibus, in quibus modificata est lex de immunitate personali ecclesiasticorum, prout videre est in tenore eorumdem pactorum. Sub nomine vero Rescripti veniunt quaecumque facultates concessae hac super re a Congregationibus Romanis; prout pro emergentibus circumstantiis dantur, et inferius notabuntur. Hic verba facienda sunt de lege conscriptionis pro militia, quae ex sua generalitate comprehendens quoscumque cives viginti annorum aetatem attingentes, nullumque habens respectum ad statum clericalem maxime laedit immunitatem ecclesiasticam. Exinde Ecclesia eam magnopere lamentata est utpote educationi ecclesiasticae juvenum Clericorum adversam, et proinde contrariam quoque libertati Reli-

gionis, quod principium moderni status admittunt. Illam legem propter suam generalitatem esse inconsultam, et bono privatorum ac publico totius societatis oppositam propter alios etiam respectus viri docti demonstrarunt. At in irritum usque adhuc tales conatus cesserunt; namque hodierni statuum legislatores, potius quam ad culturam et veram civilitatem, attendunt ad augendas vires materiales seu ad vim armatam, tamquam si exercitus magnitudo esset civilis gubernii unicum rectae administrandae reipublicae medium. Immunitati locali demum asserendae et servandae intendit Ecclesia propter honorem ecclesiarum, et si ea laedatur reclamare non cessat, quamvis a guberniis civilibus haec non attendatur. Exinde est, quod in cit.^a Constitutione « *Apostolicae Sedis* » inter excommunicationes Summo Pontifici simpliciter reservatas legamus sub *art.º 5º* excommunicationi latae sententiae esse obnoxios « immunitatem asyli ecclesiastici ausu temerario violare jubentes aut violantes. » Ex quo tamen iudices, milites, et omnes, qui lege civili coacti violant jus asyli non incurrunt excommunicationem, prout respondit S. Congregatio Universalis Inquisitionis sub *die 1ª Februarii 1871*.

5.º Ex quibus hucusque disputatis concluditur Ecclesiam hodie insistere in urgenda observantia immunitatis personalis et localis, cum putaverit non esse poenis animadvertendum in immunitatis realis violatores; imo huic privilegio renuntiaverit tacite ad declinandam aemulationem. Cum tamen

frequentes essent inobservantiae casus, nisi succurreretur indultis in nova Italiae conditione: hinc est quod S. Poenitentiaria Episcopis Ordinariis locorum concessit facultates, ut in sequenti modulo: — «Sacra Poenitentiaria de speciali et expressa Apostolica Auctoritate, attentis peculiaribus circumstantiis Episcopo N. N. sequentes concedit facultates, quibus sive per se, sive per aliam idoneam personam ecclesiasticam, ab eo ad hoc specialiter deputandam, ad annum, si tandiu praefatae circumstantiae perduraverint, pro grege sibi commisso uti licite valeat. — Componendi absque strepitu et figura iudicii controversias inter personas ecclesiasticas et Regulares, praevio tamen examine super rationibus et documentis ac salva semper justitia. — Indulgendi quibuscumque personis, ut loca pia, et ecclesiasticos apud iudices laicos in causis civilibus convenire, ac etiam in causis criminalibus, quae periculum capitis nullimode afferant, accusare valeant, dummodo accusatores aliter propriae indemnitati nequeant consulere, et, quatenus sint ecclesiastici, facta prius protestatione juxta S. Canones. — Habilitandi ecclesiasticos quoscumque ac loca pia, ut in iudicium coram iudicibus laicis tam active, quam passive comparere ac proprias causas civiles tantum ac profanas agere valeant. — Indulgendi pariter iisdem, ut citati apud forum saeculare criminales causas agere, et se defendere valeant. — Permittendi, ut documenta et acta Episcopalis Curiae ex Tabulario ecclesiastico extra-

hantur, et saeculari potestati tradantur, cum ipsa saecularis potestas id ex officio requisierit, facta saltem quo meliori ac decentiori modo fieri possit, declaratione, ex qua pateat ecclesiasticam Potestatem ea in re cedere circumstantiarum gravitati juxta instructiones a S. Sede tributas. — Praeterea praeaudato Episcopo sequentes etiam ad annum similiter duraturas concedit facultates, quibus sive per se, sive per suum Vicarium Generalem, vel alium idoneum virum ecclesiasticum pro temporum ratione deputandum, atque etiam in singulis casibus sive per confessarios vel alias idoneas personas ecclesiasticas specialiter deputandas intra fines suae Dioecesis, et pro grege sibi commisso uti valeat, facta in unoquoque casu expressa mentione Apostolicae Auctoritatis, vigore praesentis Indulti eidem delegatae. — Permittendi iudicibus laicis, aliisque executoribus, sibi ob morum integritatem et studio Religionis benevisis, ut in causis tam civilibus mere profanis, quam criminalibus item profanis, quae non afferant periculum capitis, ecclesiasticas personas, Ecclesiae bona, ac loca pia respicientibus agere possint, ac hujusmodi facultate utantur cum recta ratio, et bonorum morum conservatio id postulare videantur, omnibusque perspectum sit non proprio jure, sed speciali facultate ab Apostolica Sede delegata procedere. — Permittendi iisdem executoribus, ut contra delinquentes et suspectos, si ad locum immunem confugerint, servatis, quantum fieri potest,

debitis cautelis, valeant procedere, remoto scandalo, caute ac prudenter manifestando facultatem ad eos actus impetratam. — Excipiuntur Episcoporum causae cujuscumque generis illae sint. Contrariis quibuscumque non obstantibus. »

TITULUS L.

Ne Clerici vel Monachi saecularibus negotiis se immisceant.

1.º Sententiam Apostoli Pauli *Ep.º 2º ad Timotheum cap. 2º* « *nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus* » Ecclesia antiquis canonibus servatam voluit, prout habetur *cap. 1º h. t.º* aliisque Constitutionibus, eamque posuit ut rubricam istius tituli. Et jure quidem, cum implicatio in negotiis saecularibus mentem a divinis abstrahat, et variis sollicitudinibus animum vexet, quod utrumque vocationi Clericorum est prorsus contrarium. Tota difficultas proinde in hoc est, ut dignoscamus quatenam sint ista negotia saecularia, quibus Clerici non debent se immiscere. Negotii saecularis nomine autem stricte loquendo non veniunt actus illiciti, quippe qui etiam laicis prohibentur, sed illi qui ad civilem statum pertinent, et sunt proprii

laicorum, atque abstrahunt a spiritualibus, proinde Clericis sunt interdicti. Id vero magis ex positiva canonum prohibitione scimus, quam ex abstracta notione.

2.° Canones autem utpote negotia saecularia vetant sequentia: — (a) Ne Clerici ministri laicorum fiant, nec in rebus eorum procuratores existant, ut habetur *cap. 2° h. t.°*, etiamsi laicus sit princeps territorialis, aut alias magnus Dominus, prout dicitur in *cap. 4° h. t.°* Unde nec Principum vices gerentes, vicedomini, Cancellarii, praefecti administratores vel alia ratione officiales esse possunt ex *cap. 5° h. t.°*, Clerici siquidem non in aula principum manere debent, eorumque negotia agere, sed in Ecclesia assiduos se praebere debent: poenae adversus contrafacientes sunt faerendae sententiae et arbitrariae, non autem ministerio juris inflictae, — (b) officium tabellionis vel Notarii publici est Clericis interdictum ex *cap. 8° h. t.°*, et contrafaciens si monitus non abstineat, potest beneficio privari. Potior prohibitionis ratio non ea esse mihi videtur, quam affert Glossa in *cap. 2° de usuris in VI*, nempe vilitas officii; sed potius alia affinis, scilicet quod Notarius distentus quotidie hisce alienis curis non potest ea, quae sunt Clericalis officii sedulo adimplere. At si Notarii officium exerceatur in negotiis ecclesiasticis, praesertim in causis fidei, et ut servari solet in curia romana, praecipue in negotiis coram Pontifice expediendis; in iis causis etiam Clerici valent istud

officium exercere; quamvis communiter committatur laicis, qui ex quotidiana experientia magis idonei ad id muneris habentur. — (c) In nonnullis canonibus, praesertim in *cap. 3° et ult.° h. t.°* prohibetur Clericis et Monachis studium juris et physices in publicis universitatibus. At hoc decretum videtur fuisse latum propter circumstantias particulares temporum. Ut enim refert Gonzalez in *commentariis ad caput ult. h. t.°*, cum saeculo decimo secundo fuissent libri Pandectarum juris civilis a Pisanis adinventi in Civitate Melphitana, et Lotharius Imperator statuisset, ut abrogato Longobardorum jure, civile observaretur et publice doceretur, caepit esse ejus professio apud omnes in magna aestimatione; proinde etiam Clerici et Monachi relicto Monasterio, et neglecto studio theologiae et canonum praetulerunt vacare juri civili, ac physicis disciplinis cum dispendio sacrarum scientiarum. Ex hoc Pontifices coacti sunt prohibere harum scientiarum studium, non quasi malum esset *in se*, sed *relative*, nempe in dispendium doctrinae theologicae et canonicae; quae sunt propriae Clericorum; atque in contumaces edere excommunicationis sententiam. A quo rigore subsequenter temporibus temperatum est, prout historia confirmat. — (d) His pariter temporibus inducta fuit alia lex prohibens, qua, ut docet Benedictus XIV *De Synod. Dioec. lib. XIII cap. 10 num. 4° et seq.*, nempe, Clericis et Monachis vetabatur exercitium medicinae et chirurgiae, quaeque usque adhuc perseverat, etsi plu-

ribus Indultis deinde fuerit id peculiariter permisum propter speciales rationes sub conditionibus tamen aliquibus in eo opere relatis. Has exercens professiones Clericus absque venia, si infirmi mors sequatur evenit irregularis, secus poenis subjacet arbitrariis, — (e) de vetito Clericis officio Advocati sic loquitur Benedictus XIV *op. et cap. cit.º num.º 12*: « Advocent Clerici, sed in judiciis criminalibus tantum pro defensione rei, et in aliis quantum sufficit ad congruam sustentationem. » — (f) Phohibetur Clericis negotiatio, de qua *cap. 6º h. t.º* Advertendum tamen est hic sermonem esse de negotiatione *proprie dicta*, quando res emuntur habitualiter, ut charius vendantur absque ullo artificio addito. Porro Clerici negotiatores juxta *d. cap. 6 h. t.º* debent excommunicari, nisi moniti desistant; possunt quoque deponi, prout habetur in *can. 1º caus. 14 quaest. 4ª*, et omnia sic acquisita pertinent ad Cameram Spolii ex Constitutione Pii IV quae incipit « *Decens* » *diei 5 Novembris 1560*. In hac parte consulatur Constitutio Benedicti XIV, quae incipit « *Apostolicae servitutis* » *diei 25 Februarii 1741* et Epistola encyclica Clementis XIII « *Cum primum* » *diei 17 Septembr. 1759*, quas commentariis partialibus exponit Giraldi *op. cit.º part. 2ª sect. 73*. — (g) Demum prohibitum est Clericis quibusenmq̃ue sub poena irregularitatis ex defectu lenitatis incurrenda iudicium sanguinis quomodocumque exercere, id est sententiam mortis aut mutilationis membrorum

proferre sive per se sive per alios executioni demandandam, ex *cap. 5º et 9º h. t.º* Quin imo eadem prohibitio sub eadem poena incurrenda datur iis, qui quomodocumq̃ue aut directe provocant, aut in eadem poena infligenda ex officio cooperantur, prout habetur ex responsione S. Congregationis Concilii *diei 19 Januarii 1686*. Exceptio datur ex Decretali Bonifacii VIII *in cap. 7º h. t.º in VI* pro Episcopis, aliisque Praelatis aut Clericis jurisdictionem obtinentibus temporalem; tunc etenim eas causas debent et possunt, metu irregularitatis cessante, aliis delegare. Imo ex Constitutione Leonis X « *Etsi pro eunctarum* » *diei 28 Jun. 1514 § 15º* non incurrunt ullam poenam, censuram, vel irregularitatem, si comminantur, committunt, vel imponunt poenam corporalem etiam mutilationis membrorum, aut capitalem.

Finium in vigilia festi S. Ap. Petri et Pauli
1882

LIBER III. PARS II.

	PAG.
Epistola regnantis Pontificis Maximi ad Auctorem.	5
TITULUS XXVIII. De Sepulturis.	7
" XXIX. De Parochiis et alienis Parochianis	35
" XXX. De decimis, primitiis et oblationibus. . . .	60
" XXXI. De Regularibus et transeuntibus ad Religio- nem	72
" XXXII. De Conversione Conjugatorum	127
" XXXIII. De Conversione infidelium	137
" XXXIV. De voto et voti Redemptione	143
" XXXV. De Statu Monachorum et Canonicorum Re- gularium	156
" XXXVI. De Religiosis domibus, ut Episcopo sint sub- jectae.	194
" XXXVII. De Capellis Monachorum aliorumque Reli- giosorum	208
" XXXVIII. De Jure patronatus.	212
" XXXIX. De Censibus, Exactionibus et Procurationi- bus	259
" XL. De Consecratione Ecclesiae et Altaris. . . .	272
" XLI. De celebratione Missarum, Sacramento Eu- charistiae, et divinis Officiis	291
" XLII. De Baptismo et ejus effectu	322
" XLIII. De Presbytero non Baptizato	328
" XLIV. De Custodia Eucharistiae, Chrismatis, et alio- rum Sacramentorum	330
" XLV. De Reliquiis et Veneratione Sanctorum . .	337
" XLVI. De observatione jejuniorum	351
" XLVII. De Purificatione post Partum	365
" XLVIII. De Ecclesiis aedificandis et reparandis . .	367
" XLIX. De Immunitate Ecclesiarum, Coemeterii et rerum ad eas pertinentium	376
" L. Ne Clerici vel Monachi saecularibus negotiis se immisceant	391

IMPRIMATUR

P. Fr. Vincentius M. Gatti O. P. S. P. A.
Magister.


IMPRIMATUR

Iulius Lenti Archiep. Siden. Vicesgerens.

REV15

100 4. rom
67 8. Pin

ÚK PrF MU



3129S33433